



A 55d
10
13
1



Part VIII [illegible]
IX [illegible]
X [illegible]

[illegible] of Part X.

INDIÆ ORIENTALIS

PARS OCTAVA:

NAVIGATIONES QVINQVE,


Primam, à IACOBO NECCIO, *ab Anno 1600. vſque ad Annum 1603.*
Secundam, à IOHANNE HERMANNO de Bree, *ab Anno 1602. vſq; ad Annum 1604.*
Tertiam, à CORNELIO NICOLAI, *Annis quatuor.*
Quartam, à CORNELIO de VENA, *duobus Annis.*
Quintam, ſub STEPHANO de HAGEN *tribus Annis, in Indiam Orientalem ſuſceptas & peractas continens.*


Locorum, Regum, Populorum, rituumque variorum deſcriptione, victoriarum item à Luſitanis reportatarum, & Araboinæ, Tidorisque expugnationis commemoratione addita.

Auctore
M. GOTARDO ARTHVS Dantiſcano.

Omnia elegantiſſimis in æs inciſis iconibus illuſtrata & in lucem emiſſa per
IOANNEM THEODORVM & IOANNEM ISRAELEM de Bry, fratres Germanos.

FRANCOFORTI, Anno M.DC. VII.





LECTORI BENEVOLO S.



VERVM esse prouerbium illud, quo dicitur, nihil tam malum esse, quin aliquid secum boni afferat & coniunctum habeat, tam sacræ quam prophanæ testantur historiæ. Cum Iosephum fratrē suū Iacobi diuenderent filii, nō quidem bonū sibi propositū finem habebant, odio n. & inuidia excæcati, eum è medio sublatum, & vel plane memoriam eius abolitā cupiebant, nihilominus tamen hoc eò facere debebat, vt Iosephus ille, totius Ægypti Princeps & moderator constitutus, de necessaria, cum annonæ caritas vniuersum fere terram affligeret, sustentatione tam parenti quam fratribus suis prospicere posset. De Pharaone legimus eum, cum populus Israeliticus nimis augeretur, obstetricibus suis, de omnibus, quoscunque Hebrææ mulieres pariture essent infantibus masculis, aqua suffocandis mandatum dedisse. Erat hoc certe ad perniciem & vniuersalem extirpationem totius huius populi directum propositum, verum procuratā hac ratione populi Israelitici ex seruitute liberationem, ipsiusq; Pharaonis promotum hoc modo interitum oportuit, ipsamet Regis filia eum, qui virga & flagellū Pharaoni esset, educante, & per summam ignorationem fouente. Quem finē Iudas, cum Saluatorem nostrum proditurus esset, sibi propositum habuerit, nempe vt pecuniæ aliquid, auaritia eum instigante, corraderet, nemo est qui nesciat, nihilominus tamen ad generis humani redemptionem, salutisque nostræ promotionem hoc quantumuis nefarium facere facinus oportuit.

Patet hoc item vel maxime ex rerum Belgicarum etiam historia. Quid enim quæso miseriarum vel nominari vel cogitari saltem potest, cuius non durante hoc tam diuturno bello, pars ad Belgas etiam aliqua promanauit? Quid mali vspiam in mundo extitit, cuius non vestigia in Belgio expressa supersint? Sed si nihil aliud, hoc tamen inde boni prouenit, quod peregrinæ nationes & loca maioribus nostris

incognita prorſus & ignota, ita nobis Hollandorum innotuerunt opera, vt nemo ſit, qui de illis quicquam amplius dubitandum cenſeat, cum nauigationes ad loca illa plus iam frequentatæ Hollandis ſint, quam quæ in Hiſpaniam ſuperioribus annis Luſitaniamque ſuſceptæ fuerunt.

Facit igitur hæc primo vtilitas ad conſiderationem mirabilium Dei operum, vt varietate eorum admoniti occaſionem habeamus eũ prædicandi & magnifaciendi. Ex re deinde Hollandorum eſt, opes & diuitias hac ratione & occaſione mirum in modum accumulantium, & allatos inde fructus resque exoticas & peregrinas alias, magna copia inter nos diſtribuentium. Nam & ad finitimos hæc inde promanauit vtilitas, quod aromata apud illos varia, quæ parce olim & non niſi ex Luſitanorum diſtributione acquirere poterant, magna iam ſatis copia & tolerabili precio væneant.

Cæterum vt loca & regiones iſtæ, reliquaque omnia, vniuerſis & ſingulis manifeſtarentur, neceſſarium erat nauigationum iſtarum hiſtorias fideliter conſignatas in publicum emittere, quod ipſum quidem à nobis hactenus pro virili præſtitum, qui in eiusmodi hiſtorijs publicandis & figuris æneis illuminandis atque decorandis, ad octauam iam partem proceſsimus, quam hoc quidem tempore tibi etiam exhibemus. Continet vero nauigationes varias, quas vno hoc volumine comprehenſas voluimus, cum quod non multum inter ſe diſcreparent, ſed altera quaſi alterius continuatio eſſet, tum præcedentis etiam ſeptimæ partis nauigationibus conuenienti ordine ſubijcerentur. Ad regna enim eadem tam Spilbergius in ſeptima, quam Neccius & VVertius in hac octaua parte, delati ſunt, licet ſucceſſu & fortuna non per omnia pari. Quamuis enim Spilbergius fauorem & gratiam Regis in Candy *expertus fuerit maximam, Neccius itidem amice admodum & liberaliter ab eo acceptus ſit: VVertius tamen tandem infelici ſidere aduectus, vitam & ſocios amiſit, ita fortuna non ſemper eadem eſt, principesq; viri non eodem ſemper animo eſſe, nec idẽ omnes ſentire deprehenduntur. Sic enim & hoc ipſum* Regis in *Candy *factum ab alijs Regibus reiectum & reprehenſum eſt, & vt barbaros taceam, apud Chriſtianos etiam haud raro vſu uenire ſolet, vt quod huic gratum admodum & acceptum eſt, alteri ſummopere improbetur. Tanta eſt varietas & diſcrepantia tam opinionum quam affectuum humanorum.*

Iam

Iam quod ad peregrinarum nationum historias attinet, vix reperias aliquem, qui non cognoscendi eas studio aliquo teneatur, & cum locorum situm & qualitatem, tum populorum mores, religionem, ritus gestusq; varios perlustrare expetat, si præsertim domi suæ vere descripta isthæc omnia cognoscendi non desit ei occasio. Omnibus enim nobis natura inditum est, vt nouitatis appetentes simus, si præsertim ex nouarum istarum rerum cognitione vtilitas aliqua deprehendatur. Quod si in historiys hisce barbararum gentium occurrat forsitan aliquid, quod offendere pudicas aures possit, non tamen vel opus ipsum propterea reiiciendum, vel leuitatis alicuius autori impingendum crimen est. Quid enim quæso si sacra Biblia legat quis, & forsitan in historias incidat eiusmodi, quæ in sacris quidem locum habere nulla ratione debebant, num abiicienda Biblia vel autorem leuitatis accusare præsumat? Haud equidem reor, cum eo quidem fine conscriptæ & consignatæ à sanctis Dei hominibus non sint, vt delectemur illis aut in exemplum eas trahamus, sed cognitis tenebris Solem amemus magis, Deique implorato auxilio, tenebrarum opera euitemus rectius. Quod si quid igitur indecens & ab honestate alienum, in historiis hisce occurrat, non propterea consignatum & annotatum putandum est, vt eo delecteris, sed vt dignitatem tuam agnoscas, cui hoc præ miseris illis & excæcatis hominibus gratiæ diuinitus datum est, vt quod bonum & honestum à malo & turpi discernere, & virtutem eligere, vitia vero vitare possis. Vnde causa tibi non leuis existere debeat, diuinæ hoc in te misericordiæ opus agnoscendi, quod ad agnitionem lucis & veritatis nullo tuo merito perductus sis, Deumq; rogandi, vt te in omni pietate conseruare ad extremum vitæ spiritum velit, quo cum & in hac & in altera vita dignis euehere & celebrare laudibus indesinenter possis. Vale.



PRÆFATIO DE CAVSIS, QVIBVS INVITATI HOLLANDI NAVIGATIONES HASCE SVSCEPERVNT, ET HISPANIS SESE LVSITANISQVE IN REGIONIBVS ILLIS TAM LONGINQVIS OPPOSVERVNT,

scripta à

B. P. B. M. D.



IHIL dubitamus, Lector beneuole, fore inter extraneos, maxime vero inter illos, quibus administratio & status Belgicarum prouinciarum, non vsque adeo cognitus est & perspectus, qui varie de nauigationibus hisce Hollandorum, quibus naues Lusitanicas subinde aliquas expugnasse & bonis euacuasse leguntur, & locuturi & iudicaturi sint. Rogatum te igitur, quisquis es, & admonitum volumus, vt & causas nobiscum susceptarum harum nauigationum perpendere, & ipsorummet Lusitanorum, quibus naues istæ ablatæ fuerunt, ex quibusdam eorum ad Hollandos literis cognoscere de facto hoc iudicium, ne graueris.

Sciendum igitur est, Hollandos superioribus annis nauigationes suas in Hispaniam solummodo Lusitaniamque & Italiam instituere consueuisse. Accidit autem, vt post exortum illud tam graue bellum, quod inquisitioni Hispanicæ repugnantes Hollandi, pro libertate conscientiarum priuilegiorumque suorum conseruatione, tot annos iam gerunt, nauibus suis in Hispania subinde spoliarentur. Tametsi vero ipsi initio dissimulare & patienter hoc suum incommodum ferre viderentur, nec propterea nauigationes illas intermittere vellent, fortunam singulis meliorem sibi promittentibus, factum tamen tandem est, vt insigni multarum nauium classe, in portu quodam Hispanico detenta, mercedem suam illi acciperent, qui frumento & rebus aliis allatis Hispanorum sæpe necessitatibus subuenerant; [redacted], partim vero tenuioris fortunæ homines essent, qui victum suum multo cum labore & periculo terra marique conquirere necesse haberent,

haberent, quos ad triremes partim Hispani condemnarunt, partim vero asinis alligatos flagellis virgisque tamdiu cædendos putarunt, donec inter cruciatus & dolores exquisitissimos animam tandem efflarent atque morerentur.

Hoc igitur videntes Belgicarum prouinciarum ordines, cum salutem suam in negociationibus partim maritimis, partim vero in piscationibus totam versari non nescirent, permiserunt ciuibus suis, vt quibuscunque rationibus honeste poßent, nauigationibus darent operam & nauicularıam facere nulla ratione cessarent. Cum igitur Hispani ne salē quidem Hollandis permittere vellent, quo ad condiendos pisces suos vterentur, Deus ipsis præter omnem expectationem viam quandam ad nouas Insulas monstrauit, vbi sal ingentium petrarum instar abunde prouenit, vt quamuis maiori cum periculo & longiori interuallo, gratis tamen & sine pretio eo iam potiri magna copia possint, sed & ~~in eo paternam suam erga eos beneuolentiam declarauit, quod prudentes aliquot & æterna memoria dignos viros, vt pote~~ Gerhardum Pistorem, Consulem olim Amstelrodamium, Rodigerum Pauium, eiusdem loci Consulem alterum, Petrum Theodoricum Haselerum, Iohannem Ioannis Campium, Albertum Lucæ, Arnoldum Groshusium, Sigebertum Petri, & alios excitauit, qui vastum illud Atlanticum mare peruestigare audentes, Guineam primo ad barbaros Æthiopes, postea vero ad vtramque Indiam, & ad Aromaticas Insulas, quæ nulla hactenus ratione Hispanorum dominio subiectæ fuerant, nauibus excurrere non dubitarunt, idque nullo alio fine, quam vt honesta cum ipsis commercia exercentes facultates suas aliquo modo augerent.

Non poterant hoc diu ferre Hispani, sed Lusitanos statim in Hollandorum odiū excitātes, omnem vti eos hoc fructu spoliarent, & hisce maritimis oris excluderent, lapidem mouerunt. Lusitani igitur vt perfidos eos & impios nullaque honesti viri conuersatione, amicitiaque dignos passim proclamantes, inuidiam ipsis apud Reges Orientales conciliare summo studio conati sunt, quemadmodum ex publicatis hactenus Hollandorum nauigationibus constare satis omnibus putamus. Cum igitur nauigationum harum præfecti insidias suis nauibus passim paratas cognoscerent, maioriq; ad continuandas nauigationes robore opus esse viderent, ante annos quinque, vel sex, classem satis magnam, octo nimirum onerarijs nauibus constantem, adornarunt, rebusque necessariis omnibus instructam sub Iacobi Hemskirchij præfectura ad loca illa Orientalia, vt cum consensu & permissu Regum Indicorum negotiationes suas, vel mercium permutatione vel præsenti pecunia, pro cuiuscunque Regis arbitrio libituque, ibi exercerent, destinarunt. Vt autem eo melius & tutius hoc iter absoluerent, non Mauritius solum & ordines illud approbarunt, sed & diplomate literisque nauigantes instruxerunt, præcipientes vt postulante ita necessitate contra omnem sese externam vim opponerent, & iniuriam ab hostibus suis sibi illatam vendicarent.

Naues hæ vix dum superatis Insulis Canarijs, classem Hispanorum, tredecim nauibus constantem, armatisque & rebus ad munitionem varijs instructam sibi aduer-

aduersantem habuerunt, tanto cum furore & impetu vt vna ex illis, cui rubro Leoni nomen erat, crebris lacerata tormentorum ictibus, conuerso itinere domum redire coacta fuerit, plerisque nimirum, qui in ea erant classiarijs Præfectoque ipsomet interfectis, vt iter suum continuare non posset. Non parum quidem Hemskirchius in hoc conflictu periculi sustinuit, nauem tamen istam subleuare non potuerat, sed cogebatur eam postmodo volens nolensque dimittere, & eius in continuando itinere opera carere. Iam cum Bantamum venisset, de nouis Lusitanorum contra ciuitatem illam tentatis molitionibus edocti sunt. Cum enim negotiationes cum Hollandis Incolæ isti hactenus exercuissent, 24. Decemb. Ann. 1601. sub gubernatore Andrea Fortado di Mendoza, cum triremibus octo, biremibus vero 22. ciuitatem oppugnatũ aduenerant. Hæserant tum qui patrocinium vrbis susciperent in portu ad Bandã quinque naues Hollandicæ sub Olifiere Hermanno Præfecto, à quo quomodo Lusitani excepti fuerint, in historia quidem suo loco annotatum est. Nam aduenerant Lusitani cum expresso mandato, non solum Hollandos illos opprimendi, sed & in Bantamios aliosq; Hollandis fauentes ita animaduertendi, vt in posterum illorum se subtrahere consuetudini non dubitarent. Cum autem nihil proficere contra Hollandos potuissent, irati admodum ad Itovam Amboinæ profecti sunt, incolisq; eius loci misere contrucidatis arbores garyophyllorum terra eruerunt, ne Hollandis vsui esse possent. Quin imo ad Machiam, etiam Regis Ternatensis oppidum progressi, omnia, crudelissime in incolas sæuientes, vastarunt & subuerterunt. Sed & Ternatẽ prouecti, vbi Rex Moluccensium harum Insularum habitat, eadem sæuire crudelitate statuerunt. Hærebant tum in portu duæ naues Hollandicæ, quæ licet furori eorum initio se opponerent, cedere tamen tandem vix dimidia vectura accepta coactæ sunt, relictis ibi qui negotiationes continuarent, & donec naues aliæ aduentarent, mercium aliquid coemerent atq; comportarent. Hos autem persequi nullo modo cessabant. Cum enim inter eos iuuenem insigni fortitudine & prudentia Franciscum Verdosium nossent, inuidia eum premere, & in odium apud Regem adducere modis omnibus nitebantur. Transierat aliquando ex Hollandorum societate ad Lusitanos quidam Henricus Hamburgensis, hoc facto literas pariter ad Regem & ad Hollãdos dederunt, Hollandis quidem condonationem omnium, quæ contra Hispaniæ Portugalliæque Regem deliquissent, bonorumq; omnium restitutionem & summam securitatem promittentes, si tormenta Regis (vt polliciti essent) primo quoque tempore ad se delaturi essent; Regem vero, videret quales in terra sua foueret hospites monentes. Salutem enim & suam & suorum eiusmodi se credidisse hominibus, qui tormenta Lusitanis regia offerre decreuissent, euigilaret igitur tandem, & in eiusmodi proditores perfidos vel ipsemet animaduerteret, vel Lusitanorum potestati committeret.

Cæterum in transmittendis literis illis hac vtebantur calliditate, vt quæ ad Hollandos scriptæ essent, quasi per errorem ad manus Regis prius peruenirent, ex quibus ille colligeret, transitorem illum data opera ad Lusitanos, vt de traditione tormen-

tormentorum regiorum eos certiores faceret, ablegatum esse. Verum fraudis Lusitanicæ non ignarus, non ignorare se respondit, quibus fides habenda esset, eos vero, qui non mancipia sua essent, sed libertate æque, vt Lusitani gauderent, Lusitanorum furori exponere, suam quidem personam minime decere. Postmodo vocatis ad se Hollandis literas ad se & ad Hollandos scriptas eis obtulit, quærens an literarum aliquid ipsi ad Lusitanos antea dedissent, qui simplici negatione fraudem hãc refutantes, fidem facile apud Regem inuenerunt? Qui de insidijs & fallacijs Lusitanorum conquerens, suos qui facile crederent deceptos sæpe ab ipsis & circumuentos esse dixit. Videntes igitur Lusitani, nihil sese vel aperta vi vel insidijs etiam suis incommodare Hollandis posse, cum præsertim Tidorensis Regis subditos à partibus suis ipsi haberent, firmatis quæ in Tidorensi & alijs finitimis locis obtinebant castellis, abierunt. Nihil quicquam autem de ~~malitia sua~~ remiserunt, sed in omnes intenti occasiones adimplere, quod vulgo dicitur: Dolus an virtus, quis in hoste requirat, modis omnibus visi sunt, velut hoc inter alios mense Septembri, An. 1602. etiam Iacobus Neccius expertus est. Cum enim is ad Macao Chinæ ciuitatem duabus nauibus appulisset, Lusitani statim commercia sua cum Chinensibus ibi exercentes, vrbe egreßi vexillum pacis præferebant, & sub amicitiæ specie scapham cum viginti Hollandis ~~dolo mali~~ interceperunt, quorum postea septendecim, qui linguam Lusitanicam ignorantes innocentiam suam Chinensibus aperire non poterant, in crucem egerunt, tribus reliquis Goam translatis.

Possem hic commemorare historiam de viginti Hollandis in Cochu China, (quo commercia exercendi gratia duabus scaphis ex Gronsbergij præfectura concesserant) ad mandatum Regis instinctu Monachi cuiusdam Lusitani, partim trucidatis, partim in captiuitatem abductis. Possem similiter & aliam allegare historiã de tribus Hollandis, qui ab Hemskirchio Bandæ relicti Amboinam commerciorum promouendorum gratia concesserant, quomodo nempe capti, partim & ad triremes condemnati, partim vero inter feros ignotarum Insularum homines lucrari vitam suam coacti sint. Illud vero præterire silentio non possum, quod in Tidore ad Moluccas pertinente Insula, vbi castellum Lusitani habuerunt, Balthasaro Cordesio, qui per fretum Magellanicum in Orientalem Indiam penetrauerat, accidit. Eum enim promissis & pollicitationibus splendidis in terram, vt mactatum suo iussu Bubalum ad nauem secum abduceret inuitatum, cum post moram aliquam ad nauem iterum redire pararet, trucidatum in mare abiecerunt, sociosque eius, manibus pedibusque prius mutilatos obtruncarunt. Quo facto nauem quidam conscenderunt, & quinque saltem personis, quarum opera nauem ad littus producerent, exceptis, Hollandos qui in ea superfuerant omnes interfecerunt. Non libet nunc commemorare, quomodo duas ad Iacobum Neccium pertinentes naues incendio vastare conati sint, nec illud etiam addam, quomodo autores Regi in Achin fuerint, vt in naues aliquot Selandicas, qui commerciorum gratia eo appulerant, impetum faciens stragem haud modicam ediderit.

His igitur & similibus factis Lusitanorum crudelissimis excitati Hollandi consilium cœperunt, quomodo iuratis nauigationum suarum hostibus armata manu resisterent, & post perpessas tot iniurias sese tandem aliquando in ipsis vlciscerentur, eiusmodi adhibitis medijs, quæ legi naturæ & gentium, quæ vim vi repellere concessam, non repugnarent. Hoc fine quidem etiam diploma & literas à Principe Mauritio acceperunt, quibus sese facientes talia tuerentur, nauigationisque cursum indies magis magisque promouerent.

Rebus igitur ita perfectis, cum Iacobus Hemskirchius, duabus nauibus ex Bantamo soluens, locum quendam alium, vbi mercium aliquid inueniret, peruestigare voluit, cum ei oportuno quodam loco, in regno nempe Ior, ingens Lusitanica nauis, qua vltra 700. homines, maxima parte Lusitani & coniurati negotiationum suarum hostes vehebantur. Hanc igitur nauem præsente & spectante ipso Rege in Ior aggressus, tormentorum displosione ita coangustauit, vt deditionem facere & potestati eius sese permittere Lusitani, dummodo vitam conseruare suam vellent, cogerentur. Scaphis enim paulo post omnes ad littus, vnde Malacam commode peruenirent, sunt expositi.

Jam quid Lusitani ipsimet de nauis huius expugnatione senserint, æquus lector ex literis, quas ipsimet ad Hemskirchium exararunt cognoscere facile poterit, quarum ego tenorem iam subijciam. Epistola igitur ipsius Gubernatoris in Malaca ad quatuor Hollandos, qui in comitatu Lusitanorum captiuorum Malacam venerāt, scripta, talis fuit. Vetus est consuetudo, vt Regibus Principibusque voluntates & opiniones discrepantes inter se fouentibus, subditi damnum in corpore & fortunis patiantur. Quandoquidem igitur sortem & fortunam tam benignam Generalis noster expertus est, vt ex naui Chinensi dimissus sit, quod quidem non sine singulari Dei prouidentia factum putandum est, mittimus vobis hanc refectionem in testimonium gratitudinis pro præstita Lusitanis nostris beneuolentia, cuius nos quidem semper memores erimus, vt in simili casu eosdem etiam nos declaremus. Valetē. Datum in Camera per me Paulum Mendes di Vascolas, die 9. Martij, An. 1603. ex Malaca, nomine Dominorum Ruglosii Frammanis, Andreæ Fernandis, Dominici de Monte, & Isaaci de Gusgago.

Epistola Præfecti Malacensis talis fuit: Exitus bellorum dubius semper & incertus, in manu enim Dei est eum vel bonum largiri vel malum, hominibus tantum velut instrumenta ad illum promouendum se habentibus. Bona Dominus fortuna vsus est, quod in ditissimam illam nauem multis mercatoribus, mulieribus & alijs, qui pugnare nō modo non valent, sed impedimento etiā pugnantibus sæpe maximo existunt, onustā inciderit. Sed Dominus ea expugnata & honeste acquisita merito iā fruitur. Hoc autē mihi dolet, quod Dominus non in meam inciderit nauem, vt defensionis & pugnæ differentiam animaduertere potuisset. Hollandos in China tam male acceptos doleo, idque eo magis, quod non fuerit causa sufficiens, cur tam seueriter in eos animaduerteretur. Verum Dominus pro certo statuat auctorem huius

facti

facti iam in custodia detineri, & capitis supplicio certißime afficiendum esse. Eos qui tam ex China quam ex Moluco huc venerunt, onere suo leuatos varijs beneficiis affeci. Remitto autem nauem illam, quæ concomitata est Lusitanos ex comprehensa naui dimissos, & magni beneficij loco habebo, si Dominus mihi fratrem Antonium, Præfectum item nauis & reliquos, qui adhuc apud vos supersunt Lusitanos transmiserit, cumque Rege egerit, vt restituat mihi incolumes, quos ex naui quadam Chinensi Malacenses abduxerunt. Hoc ipso Dominus promissiones & verba cum re ipsa & veritate conuenire ostendet. Valeat Dominus. Datum Malacæ 9. Martij. An. 1603. per me Ferdinandum del Buquerque.


Tertia epistola à Gubernatore Malaccæ ad Hemskirchium scripta ita habet: Literas vestras accepi, fueruntque mihi maximæ voluptati, cum de beneuola vestra erga Lusitanos in magna naui compræhensos affectione testimonium mihi perhiberent. Eam enim à tanto Præfecto & generali omnes expectant, & ego vicissim eandem erga Hollandos, si forte aliqui ad arcem hanc deuenerint, declarabo. Quod de aliquibus in Iapania detentis Dominus scribit, nouerit, Proregem illis bene cupere, & Præfectum Chinensem in vincula ob præpostere iudicatos & damnatos Chinæ aliquos coniectum esse, vt pœnam temerarij iudicij ferat. Cum igitur nemo sit, qui factum illud approbet, Lusitanos quidem suspectos in genere omnes non habebit. Quod attinet ad sollicitudinem, quam Dominus se habere affirmat pro omnibus in miseria & afflictionibus constitutis, bonam inde ego spem concipio fore, vt hanc mihi amicitiam præstet, & cum Rege Iorense, fratreque eius Rasa Bonsu agat pro dimittendis Lusitanis, quos sub specie pacis hactenus detinuit. Bona, quæ in naui, quæ Lusitani illi vehebantur, fuerunt, restitui non expeto, cum inter milites illa varie distributa non dubitem, hoc saltem volo, vt Lusitanos captiuos dimittant, quos in exigua apud Malacenses existimatione esse constat. Quo fine quidem Philippum Lobum & Petrum Mascaream ad vos mitto, petoque, vt eos vobis commendatos habere, & quo ad Lusitanos perueniant operam dare velitis. Bene valeat Dominus, & ad suos aliquando saluus redeat. Datum Malacæ 6. Martij, An. 1603. per me Ferdinandum del Buquerque.

Placet hisce duas adhuc subijcere epistolas ad Hemskirchium ex Ilha Grandt & Malacca in hanc sententiam datas. Omnes nostri Domini memoriam conseruant beneuolentiæ à Domino nobis præstitæ. Et sane ab eiusmodi persona nihil aliud expectari potuit. Quod Hollandis, quos Dominus nobis comites adiunxit, pro merito ipsorum satisfactum non est, temporis huius ratio & fortuna nostra nos facile excusabunt, cuius quidem rei ipsimet testes erunt. Nauem citius ad vos redire impossibile erat, sed quandoquidem iam beneuolum sese Dominus hactenus exhibuit, illud vti superioribus adijciat beneficijs rogamus, vt superstites illi, qui vobiscum adhuc manent, salui etiam & incolumes ad nos transferantur, atque ita defensionem & patrocinium eius experiantur, in cuius manus atque potestatem peruenerunt. Valeat Dominus. 11. Martij. An. 1603. ex Ilha Grandt.

Visum est Deo Malacam me reducere sub patrocinio & comitatu eorum, quos Dominus mihi adiunxit, quem quoad vixero prædicare non desinam, propter veritatem & summam beneuolentiam, quam tempore captiuitatis meæ vna cum reliquis socijs apud vos expertus fui. Optaueram vnice aliquid refectionis hic inuenire, quod declarandæ gratitudinis ergo ad vos mitterem, verum paupertate & inopia in peregrinis hisce locis impeditus, satisfacere votis & optatis meis (quod doleo) non possum. Cæterum cum vestes præter quotidianas illas laceras non habeam, & vero nuditatem meam illis tegere amplius vix possim, rogatum volo Dominum, vt ad superiorem beneuolentiam hoc adhuc addat, & vel holosericum vel pannum alium, vnde vestem mihi conficiam, dono mittat. Ego, si mihi Dominus hac in re gratificabitur, hanc quasi eleemosynam maximi beneficij loco habiturus sum. Dominus reuocet sibi quæso in memoriam, quo statu in manus vestras deuenerim, & quo iam à vobis dimissus sim. Si Dominus mihi gratificari, & aliquid mittere voluerit, cum præsentium latore id facere commode poterit. Ego interim Deum precabor, vt in patriam Dominus saluus perueniat. Datum Malaccæ 24. Martij, Anno 1603. per me Sebastianum Serraon.

Ex his igitur, quæ commemorata sunt hactenus, quid de toto nauigationum Hollandicarum instituto, & de nauium quarundam Lusitanicarum ab Hollandis facta expugnatione sentiendum sit, æquus lector facile animaduertet, quem diuinæ protectioni commendatum hisce volumus.

INDIÆ



INDIÆ ORIENTALIS PARS OCTAVA:

HISTORICA DESCRIPTIO NAVIGATIONIS, A IACOBO NECCIO CVM NAVIBVS ALIQVOT in Orientalem Indiam susceptæ, & ab Anno 1601. vsque ad Annum 1604. peractæ, addita omnium, quæ hoc ei tempore obtigerunt, annotatione.



HOLLANDI cum nauibus aliquot, accepta à Præpositis & Principalibus suis in Orientalem Indiam nauigandi licentia & potestate, sublatis 28. Iunii, Anno 1601. anchoris, itineri sese dederunt. Ventum habebant satis cõmodum, cuius beneficio in mare septentrionale deferebantur, vt progredi iuxta littus Belgicum sine omni periculo tranquille possent. Elapso autem biduo venti exorti sunt contrarii, quibus non parum retardati sunt. Quarto tamen die postquam ex Texelia soluerant, in portum quendam infra Angliam delati, quinq; ibi subsistere dies, & ventum itineri suo conuenientem expectare coacti sunt, postmodo cum ex Oriente commodiori vento progredi sese iam tranquille posse putarent, mare vix iterum ingressis ipsis, tempestates extiterunt tam validæ, vt ad Wichtam applicare, & aeris ibi ventorumque mutationem expectare cogerentur. *Naues Hollandicæ quãdo Texelia soluerint.*

Soluentes iterum 10. Iulii, cum vix diem noctemque nauigando exegissent, anchoras rursus ad Portelandiam iacere coacti sunt, vbi infortunium aliquod passi sunt. Cum enim in gratiam quorundam, qui honoris ergo naues eorum conscenderant, displosionem tormentorum facerent, tormentum quoddam cum horribili fragore disruptum & in tot disiectum partes est, vt vestigia eius superessent. Commouebantur hoc casu omnes, at vero dissipato paulo post fumo, quatuor fortissimi viri in naui trucidati deprehensi sunt, tribus ad mortem, & pluribus non vsque tamen adeo lethaliter vulneratis. Prolatis igitur in terram mortuis illis, vt ventus paulo melior adspirare cœpit, infaustum illum locum reliquerunt, atque ita 14. Iulii inde iterum soluerunt. *Infortunium ad Portelandiam.*

Post dies quinque in mare Hispanicum delati, vento vario, donec eleuationem 40. graduum assequerentur, vsi sunt. Ibi enim ventum nacti septentrionalem, cum ille sine intermissione aliquamdiu duraret, sub 3. Augusti, Canarias, sub 12. vero, *Capo Verde* Insulas assecutos sese esse deprehenderunt. Cum ad 14. gradus venirent, ventos mutari contra quam opinarentur viderunt. Existimauerant enim hanc tempestatem eousque duraturam, donec ad eleuationem sex vel septem graduum venirent, sed cũ Deum ita disposuisse, contra quam ipsi sibi proposuerant, acquiescere diuino arbitrio cogebantur, quamuis non exiguum inde sibi imminere peri- *Superant insulas Canarias & virides.*

culum nequaquam dubitarent, ſcientes nimirum ſe nimis ſero Bantamum aſſecuturos, Monſonio nempe vel occaſione Bantamum & Ternatē proficiſcendi iam pridem elapſa. Metuebant autē ſibi admodū à Scorbuto, quo infectos iam aliquos videbant, Tabacco, cuius ſatis magnam ſecū aſſumpſerant copiam, nihil aduerſus morbum illum valente. Verum enimuero vt ſemper diuinum auxilium proximum eſſe deprehenditur, vbi ad extrēma quæque peruentum eſt, cum vario vento ſex vel ſeptem ſeptimanas ex occaſu in ortum, & inde in occaſum iterum iactati fuerant, apparuit illis tandem eminus præter omnem ſuam expectationem terra quędam, quam initio deſolatam quandam Inſulam S. Matthæi eſſe putabant, propius autem aduecti, Annabonam, paruam Inſulam, 24. leucas à S. Thoma diſtantem eſſe, non ſine admiratione cognouerunt, cum ex nautis nemo eſſet, quin ducentas vel circiter leucas eam adhuc abeſſe putaret.

Perueniunt ad Inſulam Annabonam.

Ad hanc igitur Inſulam primo Octobris ſummo diluculo venientes, offenderunt ibi duas peregrinas naues ex aquila nigri albique coloris ſibi aliquo modo cognitas, nam non procul ab æquinoctiali eas ſimiliter viderant. Naues hæ ex portu iſtius Inſulæ iterum egreſſæ aliquot aurea mala ad naues Hollandorum proiiciebant, atque ita curſum ſuum continuarunt. Cæterum Hollandi proiectis anchoris, nouem integros dies in portu fructiferæ huius Inſulæ ſubſtiterunt, vt Scorbuto medicinam pararent, qui morbus adeo inter eos inualuerat, vt niſi per ſingularem Dei prouidentiā ad locum iſtum deueniſſent, pereundum plerisque ſine dubio fuiſſet. Exponebant autem ægrotos in terram omnes, offerebantque ipſis mala aurea, quorum prouentus ibi maximus eſt. Hinc breui tempore iterum conualeſcentes, amiſſas ſuas vires recuperabant, fructu hoc infectum eorum ſanguinem breui tempore ita reparante & purgante, vt muti loquerentur, iacentes erigerentur, claudi ambularent, & quibus omnes labefactati dentes erant, cibum iterum manducare poſſent. Poſtquā igitur melius habere cœpiſſent, & de recenti aqua ſibi etiam proſpexiſſent, vt gratos ſeſe Gubernatori Inſulæ hoſpiti ſuo præberent, præter illud quod debebant & inſumpſerant adhuc octodecim Reales ſiue Ioachimicos & panni vlnas aliquot donabant, qui omnem ipſis ſeſe impoſterum beneuolentiam declaraturum promittens, vti in reditu ad Inſulam iterum reuerterentur multis expetebat precibus, operam ſe daturum pollicitus, vti & ſe & omnia ſua patere ſibi cognoſcerent.

Annabonæ Inſulæ deſcriptio.

Prædicta hęc Inſula aperta olim eſt Calendis Ianuarii, quo die cum nouum annum inchoare ſoleamus, nomen ſuum inde accepit, quod *Anna-bon* Luſitanica lingua, ſiue bonus annus cognominata eſt. Sita eſt in parte auſtrali, 2. fere gradibus ab æquinoctiali circulo, pulchra admodum & fructifera, aere cumprimis ſalutari. In circuitu leucas fere tres complectitur, montibus vallibusque pulcherrimis diſtincta & fontibus ornata plurimis, ad quorum ripas natura palmas plantauit viniferas quamplurimas. Colles autem arboribus aliis *Bananas* partim, partim vero mala aurea præſtantiſſimi ſaporis ferentibus conſiti ſunt. Flores præterea ſuauiſſimi odoris paſſim creſcunt, quemadmodum etiam *Tamarindi*, nuces Indicæ, *Batates*, & id genus alia. Sed & fructum gignit dulciſſimum, quem *Ananaſſen* vocant, habetque cucumeres, melones, pepones, varia fabarum genera & alia. Goſſypium mittit optimum, habetque capras & ſues magna copia. Abundat gallinis, columbis & auibus aliis. Gubernatur autem quatuor vel quinq; Luſitanis, qui imperium in incolas reliquos omnes exercent.

Sed

Sed hæc hactenus de Annabona Insula, à qua cum iterum discessissent Hollandi, nitebantur sedulo, vt quam celerrime progrederentur. Decreuerant enim in duas sese partes diuidere, & operam dare, vt si fieri posset, nouæ societatis naues Bantamum venturas cursu præuerterent. Cum igitur duos dies duasque noctes nauigando traduxissent, congregati ad nauem Prætoriam Præfecti & nautæ omnes de promouenda nauigatione consilium ceperunt, vbi conclusum est, vt tres naues, quæ erant Amstelrodamia, Delffta & Gouda, cursu nempe reliquis meliores coniungerentur, reliquis tribus simul etiam incedentibus, singulæque diligentiam omnem adhiberent, vt quamprimum Bantamum peruenirent. His ita deliberatis, cum prandio sese inuicem oblectassent, quilibet ad nauem suam reuersi sunt, Præfecto Subpræfectum siue Viceadmiralē monente, vt iter cœptū pro virili sua promouere studeret, nec facile ad littus appelleret, licet non defuturos sciret, qui ad terrā subinde respecturi essent, quod autē ad tempus rātum frustra terendum non ad promouendum iter faceret, vnde parum gloriæ ad Subpræfectum rediturum esset, nisi forsitan extrema coactus necessitate aliter facere non posset. Horum cum memorem sese fore Subpræfectus pollicitus esset, 12. statim Octobris, vt ad naues suas quisque reuersus est, de promouendo cursu sedulo, quanquam ventis non vsque adeo fauentibus, laborare cœperunt.

Hollandi separatione nauium instituta de promouenda modis omnibus nauigatione deliberant.

Cæterum cum vnum iam atque alterum diem, nauibus sociis post se relictis, Præfectus Euroaustrum versus progressus esset, viderunt 17. Octob. continentem Africæ, nempe regnum Congianum, in eleuatione 4. graduum & 30. scrupulorum. Itaque sequenti die cum vix 4. leucas à terra abessent, nautas Præfectus omnes conuocauit, deliberatum, quomodo Bantamum quam citissime peruenire possent. Respondebant aliqui littus ibi legendum, & ad tres vel quatuor septimanas commorandum, si ventorum forsitan mutatio interea fieret. Alii oberrandum in littore & videndum an promotio aliqua fieri posset. Respondebat autem Præfectus consultum sibi omnino non videri, vt ab anchora hærentes moram traherent, siquidem eam quidem ob causam naues socias post se nō reliquissent, sed ideo, vt quam primum desideratum locum assequerentur. Præualuit igitur sententia, occasum versus dirigendum cursum dicentium, indeque si non faueret ventus conuerso modo ortum versus procedendum. Sic igitur per decem dies ex occasu in ortum, indeque rursus in occasum nauigatum est, donec ad gradus sex cum 30. minutis pertingentes, exitum fluminis Zaires ex eodem cum Nilo lacu promanantis inuenissent.

Perueniunt ad regnum Congo.

Hic igitur habita iterum consultatione, vnanimi consensu decretum est, vt in occasum cursum dirigerent. Quod cum fecissent, atque ita dies quinque vel sex progressi essent, commodiorem nacti tempestatem, sanctæ Helenæ Insulam paulo post superarunt, cuius quidem rei ex auium quarundam maritimarum genere ibidem oberrante coniecturam faciebant, licet terra ipsis nulla appareret. Progressi autem sunt vento vario, donec eleuationem 24. graduum assequerentur, tunc enim vento fere omni cessante, tranquillitatem maximam experti sunt. Post diuturnam autem nauigationem, 19. Decemb. Caput Bonæ-spei prætervecti sunt, vento vtentes Zephyro, qui post sex vel septem dies in aquilonem, & tandem in austrum mutatus est, vim procellarum & pluuiarum maximam secum afferentem. Continebant autem sese intra sextum & septimum eleuationis gradum, quamuis non omnibus id æque gratum esset, multis conti-

Præteruehuntur Insulam S. Helenæ.

nuarum

nuarum pluuiarum pertæsis, in Septentrionem potius dirigi nauigationem expetentibus, verum cum ita decretum esset, Præfectus cursum illum magna difficultate ad 14. vsque Ianuarii retinuit, tunc enim paulatim in Septentrionem inclinare cœperunt, eleuationem 30. graduum habentes.

Tempestas ingens. Deprehendebant 17. Ianuarii se 24. versus Septentrionem gradus assecutos esse, constitutoque nouo ordine, vt quilibet dimidiam aquæ mensuram in diē acciperet, metu nimirum diuturnioris nauigationis, quod ventos semper aduersos experirentur. Decimumseptimum autem gradum assecuti tantam habuerunt tempestatem, vt similem ex illis nemo meminisset, & quod non subuersa omnia & submersa essent singulari Dei benignitati acceptum ferendum esse vno omnes ore faterentur. Referebat quidem nautarum quidam Texeliæ ante paucos annos se tempestatem ingentem admodum vidisse, sed quæ cum hac tamen nequaquam esset conferenda. Principio enim cum vix aurora in cœlo apparuisset, ventus quidam à meridie existens nauem tanto cum impetu concussit, vt malus inde nonnihil rumperetur, & ei ligandæ per totum illum diem intenti esse cogerentur. Erat quidem per diem ventus ille aliquo modo tolerabilis, verum vt vespera facta est, eleuati magno impetu maris fluctus cœlum obnubilare, aeremque nubibus densissimis inuoluere videbantur, vt facile quid futurum esset coniicere possent. Postquam igitur Sol occidisset, tanto cum impetu venti ingruerunt, vt omnes in interitum & subuersionem Hollandorum coniurasse viderentur, ipsique singulis momentis mortem extimescere cogerentur. Horrendum auditu erat quantus vndique fragor existeret, non enim ventorum, sed tonitruorum quasi sonum referebat, & aer vndique pluuia salsa repletus erat, quæ vi ventorum ex mari eleuata, grandinis instar faciem Hollandorum percutiebat. Durabat autem tempestas hæc per totam illam noctem, ventis sese varie mutantibus & ab ortu ad meridiem, indeque ad occasum sese conuertentibus. Vt dies autem facta est, cœpit tempestas paulatim remittere, & qui in naui Delffta erant, malum abscindere coacti fuerunt, quod nauis illa paulo leuior fuisset, quam quæ tantam ventorum vim sustineret. Et sane cum ingentes Lusitanorum naues prævalere aduersus eiusmodi vim non posse sæpe deprehendantur, mirum omnino est hasce Hollandorum naues periculum hoc euadere potuisse.

Aquam pluuiatilem colligunt sibi quisque in potum. Erepti igitur hoc periculo, nauibus reparatis progrediebantur, cumq; tonitrua, fulguraque & pluuias multas subinde experirentur, poterat sibi quisque quantum opus erat aquæ quotidie colligere, vt ex doliis eam suis haurire necesse non esset. Cum igitur dies viginti progrediendo consumpsissent, & altitudinem 6. graduum assecuti essent, signa quædam vicinioris terræ cernebant, herbas nempe virides & pisciculos, in mari alias reperiri non solitos, terram tamen nullam videbant, donec bolidis beneficio profunditatem 20. itemque 15. & 12. Orgyarum deprehenderent. Proiecta igitur anchora nautæ ad Prætoriam nauem vocati, deliberatumq; est, quid porro facto opus esset, præstaretne cursum suum Septentrionem vel meridiem versus dirigere, vt syrtes & breuia euitarent? Vbi cōclusum tandem est, vt cum ventum haberent septentrionalem, ipsi austrum versus nauigationem dirigerent, quod quidem etiam sequenti 22. Febr. die ita ab ipsis factum est. Habebant illo die ventum satis commodum, sub vesperam autem, paulo ante occasum Solis, videbant humilem quandam Insulam,

lam, leucas fere quatuor à ſe diſtantem, ea pro Inſula *del Grana* habita eſt, quamuis non omnes eandem hic ſententiam habere viderentur. Progrediebantur autem ſtrenue, vento per totam noctem optime ipſis fauente. Sequenti die ventum Euroauſtrum nacti, eiusque beneficio, ad eleuationem 4. graduum peruenerunt.

Inſula *Pamalucæ*, circa *Maldiuas* ſita ipſis viſa non eſt. Exiſtimabat autem Generalis, 16. Martii eam ſeſe prætervectos fuiſſe, quo die piſces aliquot volantes & alga marina ipſis viſa fuerat. Non poterant autem aliter cogitare, quam ſatis longo adhuc tempore ad conficiendum iter ſuum ſibi adhuc opus eſſe, ſiquidem vltra trecentas adhuc leucas emetiri cogerentur, ſed melius ipſis ſucceſſit, quam potuiſſent ſperare, idque eam ob cauſam, quod ventos ibi conſtantes & ſtatos experirentur. Hinc enim ſeptimo ſtatim die littus *Somatræ* ipſis apparere cœpit, quo vix quinque vel ſex ſeptimanis ſeſe peruenturos antea putauerāt. Vnde apparet errare ſæpe nautas, cum ex præſentibus de futuris iudicare volunt, quæ Deus quidem ſæpe aliter ordinat & diſponit, pro beneuola ſua voluntate. *Vident littus Somatræ.*

Prætervecti autem *Somatræ* littus ad Inſulam *Iauam* 28. Martii appulerunt, cum iam 9. fere menſes ex Hollandia abfuiſſent. Tametſi autem vix duas à *Bantamo* leucas abeſſent, propter nimiam tamen tranquillitatem, eo vix integro adhuc biduo pertingere poterant. Venientes autem eo inueniebant ibi Paulum à Carden, cum adhuc altera naui ſocietatis, quæ ex *Achin* venerat. Cognoſcebant etiam ex Nicolao Simone, quid accidiſſet Iacobo Willeccio & Stephano ab Hagen Præfectis, ſed & plus quam 6000 ſaccos piperis, hoc quidem tempore Bantami non ſupereſſe audiebant. Cum igitur Paulus à Carden diceret, deeſſe ſibi fere 2000. adhuc, ad perfectam vecturam piperis ſaccos, non conſultum putabat Generalis plus quam vnam ibi nauem relinquere. Cum igitur Delffta nauis ob amiſſam malum ſuam progredi vlterius non poſſet, ea ibi relicta, ipſe cum naui altera poſt dies pauculos, *Molucas* adire decreuit. Sequenti die Generalis ad Præfectum iſtius loci profectus, haſtulam quandam affabre factam cum lato gladio inaurato ei donauit. Gubernator ille Generalem amice admodum excepit, & lætitiam ſeſe ſingularem concepiſſe teſtatus eſt, vt audierit eum ad portum ſuum appuliſſe; cumque Generalis ſe ſalutandi ſolum cauſa eum acceſſiſſe, iamque Bandam recta progreſſurum diceret, monebat eum vti diligenter ſibi & rebus ſuis caueret: omnes enim Reges Iauanos inita cum Luſitanis amicitia, in perniciem Hollandorum conſpiraſſe, cuius rei vel hoc teſtimonium haberet, quod Præfectus quidam Regis *Tuban*, nomine *Ragiellela*, natione Luſitanus, ad ſe non ita pridē veniſſet petiiſſetq; ſibi veniam dari, Hollandos in portu ſuo opprimendi & extirpandi, quo fine quadraginta plus minus nauigia multis armatis inſtructa, ad *Iaquetrā*, quod nō longe à Banda diſtans oppidulum eſt, congregarit. Se vero ei hoc permittere nullo modo voluiſſe. Addebat præterea audiuiſſe ſe Luſitanos cum trium nauium & aliquot triremium claſſe, Bandam nuper conceſſiſſe, vt Hollandos paſſim inquirerent, & ex Inſulis exterminarent. Rogabat igitur eum vti vitandi periculi cauſa vlterius non progrederetur, ſed in portu ſuo ſubſiſteret. Non poterat autem Generalis perſuaderi, itaque cum nauem ſuam tertiam eiusque nauarchum Iacobum nomine Gubernatori commendaſſet, portoriumque regium pro ea perſoluiſſet, addebat ad ſuperiora munera canem illum cum aliquot catulis, quem ante hæc *Perueniunt ad Inſulam Iauam.* *Generalis monetur, vt ſibi ab inſidiis Luſitanorum caueat.*

tempora expetierat, moxque eo salutato ad naues reuersus est, propositum sequenti die iter continuaturus.

Generalis à Bantamo iterum discedit.

Cum igitur sibi de Oryza & rebus necessariis aliis satis superque prospexissent, constitutis ad Bantamum rebus omnibus & statione etiam pro tribus secuturis nauibus facta, 2. Aprilis die Bantamo soluens mari sese iterum commisit.

Prima autem statim nocte in periculum præsentissimum, ad breuia iuxta Insulas ad Iaquetram sitas impactus incidit, vbi nisi mare tranquillum placidumque extitisset, pereundum ipsis certo certius fuisset. Proiecta autem confestim anchora, omnem mouebant lapidem, vt nauem inde dimouerent, totam hoc labore noctem traducentes. Porro qui in altera naui erant, proiecta ad 20. Orgyas anchora, tormenti quidem displosionem audierant, sed causam eius ignorabant, qua postmodum intellecta, scapham statim exploratum profunditatem emiserunt. Non poterant autem exitum inuenire propter breuia & syrtes, quibus tractus ille refertus erat, itaque conuerso iterum ad terram cursu, medio inter *Iauam* & minores illas Insulas itinere progressi sunt, vento exoptato ad fretum *Celibes* vsque, per 40. miliaria fruentes. Cum autem ibi tempestas subito mutaretur, coacti sunt ad *Nassassiras* Insulas concedere, & anchoras ibi suas firmare.

Nassassiræ Insulæ non habitatæ.

Cæterum cum sex dies ibi hærentes, ventorum mutationem expectarent, depræhenderunt tandem *Monsones*, seu commoditatem Zephyrorũ iam elapsam, vt iter *Bantam* versus absolui eo quidem tempore non posset. Decreuerunt ergo directo versus Septentrionem cursu Insulas quas *Molucas* vocant petere, *Nassassiris* illis, quæ sub eleuatione 5. graduum versus Austrum sitæ sunt, relictis. Insulæ istæ quinque sunt numero, quas Hollandi omnes perlustrarunt. Inueniebant autem vbique fere aquæ dulcis copiam, idque in puteis, ab illis, qui ante hæc tempora forte ad loca illa delati fuerant effossis, nullis enim populis habitantur, sed vario volucrum auiumque genere vtpote psittacis, gallinis Indicis, columbis & aliis abundant. Sed & arboribus fruticibusque adeo refertæ sunt, vt vix incedere in eis Hollandi & gressus figere potuerint. Animalia nulla præter Crocodilos, non vsque adeo magnos, & pisces pauculos ibi inuenerunt. Quod vero ad stationem nauium & portum attinet, ille recipiendis nauibus satis oportunus visus est.

Iter Molucas versus ingrediuntur.

Iam vt ad nauigationem Hollandorum ad Insulas *Molucas* perueniamus, ea non vsque adeo felix fuit, vt ex sequentibus patebit. Dirigebant Hollandi cursum suum ex Insula *Celibes* versus littus, ingrediebanturque mare tam profundum, vt terram nullam inuenire possent. Tametsi vero scopulus nullus ibi metuendus esset, venti tamen varii & inconstantes deprehendebantur, ruentes modo à montibus altissimis, modo ex mari ascendentes, durabatq; tempestas illa per dies sex donec angulum Septentrionalem superarent. Quo superato continuos adhuc 23. dies nauigando traduxerunt antequam *Ternatem* Insulam cõtingere possent, consumptis quinque integris diebus in angulo Septemtrionali ex *Gilolo* ad *Talingamy*, qui portus vel nauium statio est superando.

Rex Ternatensis Hollãdis obuiam procedit & nauẽ eorum ascendit.

Postquam Regi Ternatensi annunciatum esset, visas in mari duas naues Hollandicas esse, ingenti perfusus lætitia, parata *Pravv* seu naui sua in occursum eis tendere constituit. Cum autem Hollandi inter *Ternatem* & *Gilolo* veherentur, assequi eos non poterat donec in portu *Talingamy* hærerẽt, vbi

vbi honorifice ab Hollandis exceptus, rogatusque eſt, vt nauem ſuam aſcendere dignaretur, quod ipſe quidem non recuſauit, ſed nauem eorum paucis ſtipatus ſatellitibus tam audacter ingreſſus eſt, ac ſi diu cum illis conuerſatus fuiſſet.

Erat hoc omnibus mirum, cum alias Indianorum natura & ingenium eiusmodi ſit, vt non facile alicui fidem habeant, verum crebræ negotiationes & conſuetudo, quæ ipſi iam integro biennio cum Hollandis interceſſerant, metum ei omnem ademerant, itaque cum horam vnam atque alteram in naui commoratus eſſet, ad arcem ſiue caſtellum ſuum iterum reuerſus eſt.

Aduenerat interea etiam Franciſcus Verdoſius, itemque & alius Petrus Lindius, qui Præfectus fuerat nauium quarundam, quæ fretum Magellanicum aliquando ſuperauerant. Hic ad Ternatem naufragium fecerat, naui ad ſcopulum aliquem alliſa, ſed bonis tamen & tormentis, quæ in ea fuerant, conſeruatis. Intelligebant Hollandi ex eorum relatione, Luſitanos in Inſula *Tidore* habitantes nauem quandam ad ſocietatem *Mahu* pertinentem diripuiſſe. Præfectum enim eius humaniſſimis verbis eo perduxerant, vt cum primariis aliquot ſociis in terram, bubalum aliquem, de quo ſpem ipſis Luſitani fecerant, allatum, deſcenderet. Cum autem reditum ad nauem pararet, eum trucidatum in mare abiecerunt, omnibus ſimul, qui in naui adhuc erant, exceptis quinque ſolum perſonis, quarum opera nauem ad littus traducerent, interemptis. *Luſitani Tidorenſes nauem aliquã Hollandicam diripiunt.*

Luſitani illi, cum cognouiſſent, Hollandos Ternatem adueniſſe, & amice à Rege acceptos eſſe, literas ad eum dederant, quas mercaturæ Hollandicæ Præfectus vna cum Verdoſio ei expoſuerunt. Erat autem earum ſenſus, quod mirari ſeſe dicerent, cur Rex Hollandos in regno ſuo pateretur, homines quippe peſſimos, qui ſine Deo, ſine iuſtitia & veritate eſſent. Velle igitur ſeſe eum admonitum, caueret, ne caſtello ſuo potirentur, hoc enim facto, recuperationem eius difficilimam fore. Se autem, cum Regi bene cuperent, intermittere non potuiſſe, quin eum de malitia & perfidia Hollandorum admonerent, & auxilium ſuum Regi aduerſus Hollãdos offerrent, addita promiſſione, ſe (ſiquidem Rex id petiturus eſſet) quod amicos decet hac in parte libenter facturos. Rex auditis hiſce literis, ad iram commotus eſt, quæſiuitque an Hollandi tales homines eſſent, qui tam male ſecum acturi ſint? Cum autem Hollandi eum rogarent, vt cogitaret has literas ab eiuſmodi hominibus ſcriptas, qui iurati Hollandorum hoſtes eſſent, & omnia pro comparando Hollandis odio conficta eſſe, depoſita nonnihil ira, mitior aliquanto factus eſt. *Luſitani Hollandis odium apud Regem Ternatenſem conciliare ſtudent.*

Præter ea autem, quæ literis expreſſa erant, ſignificari Regi per literarum latorem curauerant, impios Hollandos eſſe, ad flagitia Sodomitica & alia propenſos. Hæc enim & alia apud Reges paſſim de Hollandis commemorare conſueuerunt, propoſitisq; muneribus eos in perniciem Hollandorum excitare, quod apud Regem in *Tuban*, & pleroſque alios in *Iaua* iam fere obtinuerant: nam de Rege in *Achin* multa ſcribere neceſſe non eſt, cum cædes in Cornelio Holtzmanno apud ipſum deſignata paſſim ſit notiſſima. Sed & Iauani aliqui, Bantami habitantes, ex inſtinctu Luſitanorum, Adriano cuidam de Veen inſidias ſtruxerunt, vt eo cum ſuis extincto, bonis eius potirentur, ſed *Sabander* ſiue Præfectus loci ei hoc aperiens, in cauſa fuit quo minus cõſilium illud in actum produceretur. Hollandi igitur habito hac de re conſilio, cum animaduerterent, ſeſe homines *Odium Luſitanorum aduerſus Hollandos.*

C 2 illos

illos vbique sibi aduersantes habituros, decreuerunt eos hostiliter inuadere, & sese in illis quacunque tandem ratione possent vlcisci, idque eo magis, quod non tantum sibi, sed omnibus etiam, quibus cum contraherent & negotiarentur, itemque quibus cum amicitia quædam & familiaritas intercederet, aduersari eos viderent, cuius rei testem habebant historiam, quæ 24. Decemb. die Bantami, Anno 1601. accidit, quo die cum triremibus octo, & 22. nauiculis aliis ciuitatem ipsam oppugnatum aduenerant, reiecti iterum à tribus Hollandorum nauibus, sub Præfectura Wolffgangi cuiusdam Hermani fuerunt, vt alibi copiosius descriptum est.

Hollandi Lusitanos oppugnare statuunt.

Quandoquidem igitur aromatum ibi pro nauibus suis onerandis parum vel nihil inuenirent, & constituissent tamen ad septimanas tres vel amplius ibi commorari, & *Monsones* siue ventorum commoditatem, quæ ad promouendum iter suum facerent, expectare, decreuerunt Lusitanos ad *Tidorem* adoriri, idque eo magis, quod audirent eos quatuor nauium classem in Hollandorum perniciem adornare. Propositum igitur Hollandis erat castellum aliquod expugnare, vnde in Lusitanos per *Molucas* passim habitantes excurrere, & quo recursum etiam habere oppugnati à Lusitanis possent. Nihil autem tentare & moliri absque consensu & permissu Regis Ternatensis volebant, qui cum hoc nomine conueniretur, consentire quidem statim recusabat, non quod Lusitanis parcendum putaret, sed quod, ne quid Hollandis inde crearetur periculi, vereretur.

Hollandi Lusitanos oppugnant.

Cæterum cum annuisset tandem Ternatensis parati ad pugnam Hollandi, sublatis anchoris ad locum, vbi Lusitanos cum nauibus suis hærere sciebant, profecti sunt. Fusis autem ante omnia ad Deum precibus, vti victoriam sibi largiretur rogarunt. Verum apparuit postea, Deo nondum visum Lusitanos *Molucis*, vbi parum tamen gratiæ habebant, eiicere, quod quidem successu temporis fieri facile potuisset, siquidem iam adspirare Deus conatibus Hollandorum voluisset, sed aliter longe atq; sperauerant cecidit. Stabant Lusitani cum nauibus suis littori proximi, ita vt pro libitu eas ascendere, & excensionem itidem facere possent. Hollandi igitur accedere propius non audebant, quod periculum esset, ne Lusitani naues suas desererent, flammisq; consecrarent, vnde non parum periculi suis nauibus obtingere posset. Proiectis igitur ex opposito earum anchoris, ad displosionem statim tormentorum conuertebantur.

Generalis Hollandorũ vulneratur.

Non feriebant autem semper, propterea quod puluis sulphureus madidus nonnihil flammam non continuo conciperet. Dum autem displodendis tormentis intentus Generalis hinc inde discurreret, & in naui oberrans officii sui quemque admoneret, aduolans ex Lusitanorum nauibus globus ferreus maximam dextræ manus partem ei abripuit. Ipse licet dolorem inde maximum perciperet, & se vix continere posset, quin ex sanguinis defluxu nimio exanimis concideret, ad astantes tamen paululum sese læsum esse, & obligato vulnere statim rediturum dixit. Interea dum Chirurgus obligando vulneri operam daret, Gubernator alterius nauis scapha aduectus, nauarchum suum pede altero mutilatum nunciabat, admonens simul vt, cum nihil sese proficere displosionibus suis posse viderent, hoc quidem tempore pedem retrahentes, commodiorem occasionem expectarent. Sed & Rex Ternatensis, qui triremi aduectus spectatorem sese pugnæ præbuerat, misso ad Hollandos nuncio significat, proximum diem festum sibi esse, petitque secum ad portum *Talingamyum* quieturi

turi

turi concedant. Non erat ipsis animus cœptam modo pugnam tam cito interrumpere.

Hollandi receptui canunt. Cum autem is finem non faceret petendi, vt ad portum Talingamyum secum reuerterentur, & vero chirurgus significaret necessarium esse, vt si nauarchum illum non solum, sed & Generalem superstitem vellent, in terram eos traducerent, Regis tandem voluntati parendum statuerunt, idque eo magis quod Generalem sibi amplius adesse non posse, & nauem lacerari displosionibus magis magisque cernerent.

Generalis à Rege Ternatensi dimissionem petit. Cum ad portum iterum venissent, scapham suam, quam ante, quam Tidorem venissent, inchoauerant, absoluerunt, licet ob feruorem Solis nimium opus interrumpere sæpius cogerentur, & sex vel septem septimanas operi impendere, quod quatuordecim diebus absoluere alias potuissent, cogerentur. Interea Generalis iterum conualuerat, Nauarchus vero Nicolaus Cornelius nomine dolore vulneris nimio extinctus, & honorifice Ternati sepultus est. Cæterum Generalis perfecta propemodum scapha Regem accessit, & quandoquidem merces Ternati nullas pro nauibus suis accipere posset, veniam sibi dari petiit, si discedentes alibi locorum commodum suum quærerent. Rex mœrore affectus, quod discedere eos velle audiret, an se ita deserere, & quo sese conferre vellent rogabat, cum præsertim ventos sibi fauentes non haberent? Generalis respondit se *Patanem* petiturum ibique piper pro nauibus suis coempturum, si incolæ commercia illa non recusaturi essent. Rex igitur cum Consiliariis suis hac de re deliberaturum sese, & audita eorum sententia, eum ad se vocaturum iterum respondit.

Rex Ternatensis Generalem dimittere recusat. Post dies aliquot, Rege cum Consiliariis suis, Regni nempe proceribus prçcipuis congregato, vocatus iterum Generalis est, cumque in consilium veniens consedisset, sermonem prolixum exorsus Regis consanguineus vir ætate & prudentia clarus, quæsiuit an reliquæ naues quatuor ad locum istum etiam venturæ essent? Generalis sibi id non videri respondit, siquidem responsum quidem Bantami reliquisset, vt duæ naues merces suas ibi acciperent, duæ vero alteræ Chinam porro proueherentur. Quærebat ille porro, putaretne naues Wybrandi Warwicii, breui aduenturas? Respondit Generalis siquidem bonam habiturus esset tempestatem, breui eas adfuturas, tempus vero certum definire se non posse. His igitur auditis, cœpit ille Regis nomine & iussu commemorare, Regem cum præscitu & consensu omnium suorum subditorum vniuersam suam terram Principi Hollandiæ obtulisse, & hoc ipsum prædicto illi Warwicio, iureiurando confirmasse, constituisseque fœdus illud cum hoc Generali renouare, vnde inimicitiam Lusitanorum indies maiorem experiri cogeretur, nō enim dubium esse, quin vbi Goam & Malaccam rumor iste peruenturus sit, Lusitani classem aliquam in suam perniciem extructuri essent. Petere igitur, vt si Generalis Principem illum, cui regnum suum obtulisset, Dominū suū agnosceret, vnum adhuc atq; alterum mensem ibi subsisteret, donec plures forsitan Hollandi aduenirent, decreuisse enim se suas etiam interea copias congregare, & postmodum coniunctis viribus Lusitanos inuadere, vt ita illis regno suo profligatis, ipse quidem terram suam trāquille possidere, Hollandi vero cum subditis suis negotiari commodius & tutius possent. Addebat igitur, petitionem hanc æquissimam esse, & Hollandos non posse eam Regi denegare, quod in vtriusque commodum vergeret,

Hollandi cur gratificari Ternatensi Regi non poßint.

Generalis his auditis respondebat, omnes sese paratissimos esse, vitam & omnia, quæ haberent, pro salute Regis relinquere, quem vna cum subditis suis erga se & Principem suum animo tam prompto & beneuolo viderent. Verum cum naues haberent variis mercibus onustas, & iter illud ingressi essent eo fine, vt cum populis illis negotiarentur, & merces sibi conuenientes comportarent, commorari sese ibi diutius ne tempus perderent non posse. Rogabat igitur Regem ignosceret sibi, quod petitioni suæ satisfacere hoc quidem tempore non posset, idque ob præstitum suis Principalibus iuramentum, quo obligatus esset iter suum maturare & peracta negotiatione domum quamprimum se conuertere. Quod Lusitanos attineret, de iis quidem ex regno suo Hollandorum opera profligandis, potuisse Regem studium & industriam suam ante paucas septimanas animaduertere. Videri autem sibi Deum in profligationem eorum nondum consentire voluisse, siquidem victoriam Hollandis concedere tum noluerit, quam forsitan alio tempore ipsis concessurus esset. Haberet igitur Rex sese hoc tempore excusatum, & veniam daret, alibi, quod ibi non posset, conquirendi.

Generalis licentiam discedendi à Rege Ternatensi impetrat.

Non poterat adhuc persuaderi Rex, vt in discessum Hollandorum cōsentiret, sed conquisitis variis rationibus eum detinere ibi nitebatur, verum quo magis eum remorari laborabat, eo magis sese excusans, vti bona cum Regis gratia abire sibi liceret studebat, quod tandem etiam obtinuit, cum ostendisset Regi, quantis ibi sumptibus hærere cogeretur, siquidem mancipium in nauibus nullum, sed omnes liberi essent, quibus stipendiū in singulos menses persoluendum, quique Oryza & aqua sese sustentare non didicissent, sed carnes etiam panemque & vinum appeterent. Persuasus igitur tandem hisce & similibus rationibus Rex, omnia arbitrio Generalis permisit, qui cum Regi Consiliariisque valedixisset, ad nauem tandem suam reuersus est.

Relinquuntur quidam apud Ternatensem.

Cæterum cum constituissent quosdam ex suis ibi relinquere, rogabant Regem, vti commodum ipsis locum, vbi sese cum mercibus aliquot continerent, assignaret, quod ipsum etiam quamprimum obtinuerunt. Erant autem, qui ibi relinquebantur Ioannes Petri & Sebastianus quidam cum quatuor personis aliis, quibus merces addebantur quales conuenire huic loco Generalis nosset. Dum hæc ita fierent scapham interea fabri lignarii perfecerant, itaque Generalis Regi tandem valedicturus eum rursus accessit, qui dimissurum sese Hollandos constantissime negabat, nisi prius cōuiuio eos excepisset, quod post dies pauculos factum. Pridie autem eius diei quo cōuiuium habere Rex decreuerat, Præfectum suū, ipsis *Sabandar* dicitur, cum multis ministris aliis ad nauem misit, significatum Generali, vt, siquidem sequenti die conuiuium regium habendum esset, non intermitteret ipse tempestiue ad aulam regiam venire, adduceretque secum ex suis quotcunque sine nauium detrimento posset. Itaque Generalis, vt voluntati Regis pareret, classiarios in duo agmina æqualiter distribuit, missaque sorte, altero secum in aulam assumpto, alterum in nauibus reliquit.

Hollandi à Rege Ternatensi conuiuio excipiuntur.

Postera enim die cum instaret hora prandii, venit cognatus Regis cum ministris aliquot ad nauem, significatque, voluntatem Regis esse, vt ad prandium cum suis veniret, siquidem omnia parata essent.

Vt igitur ad locum prandio huic destinatum peruentum est, cogebantur Regem aduentātem expectare, qui paulo post secutus, omnes eos honorem

norem sibi deferentes suauiter intuitus est, postea sedem suam occupabat, quæ in lectulo preciosissimo, tapetibus & puluinaribus ex holoserico viridi partim, partim ex panno Attalico contextis ornato, parata erat. Lectus iste tabulato paulisper à terra eleuato insistebat, erantque ab eo mensæ aliquot in longitudinem ita dispositæ, vt Rex omnes intueri & perlustrare posset. Nam prior mensa grabbato proxima reliquis paulo magis eleuata, reliquæ autem humiliores magisque depressæ erant. Rex postquam consedisset, signum Generali dedit, vt ipse cum suis sequeretur. Itaque primam illam mensam ipse cum Præfectis quibusdam primariis, secundam paulo inferiorem, qui authoritatis alicuius erant, alii occuparunt, nautis & ministris inferiores reliquas obtinentibus.

Hollandis inter prandendum ludi exhibentur.

Cum igitur omnes consedissent, dapes impositæ sunt. Erant autem mensæ omnes virentibus arborum foliis instratæ, suprema illa regia excepta, quæ mappa elegantissima ex tenuissimo panno gossypino admodum dealbato; strata erat, orbiculis & ornamentis aliis appositis. Mensæ superiori duo Regis filii cum quodam alio Regis in *Gilolo* filio, reliquis vero Nobiles quidam alii ministrabant tanta diligentia, tantoque studio, vt qua erga Hollandos affectione essent, facile inde pateret. Durante prandio, nobiles aliqui ludos Hollandis varios exhibebant, palæstram exercentes, & qua dexteritate cum hoste congredi solerent ipsis ostendentes. Erant illi omnes vestitu & armis variis eleganter ornati, vt non parum inde oblectamenti, maxime vero ex summa qua pugnantes valent agilitate, Hollandi capere possent; quibus summus ibi honor absque vlla aut fraude aut simulatione est exhibitus. Finito prandio Generalis cum suis consurgens Regi gratias agere & postremum valedicere volebat, verum is valedictionem acceptare nolens, iussit eum per noctem in *Ternate* manere, quod constituisset postero die literas cum quibusdam fructibus Principi Mauritio offerendas tradere, vt morem gerere Regi cogeretur.

Hollandi ex Ternate iterum soluunt.

Sequenti igitur die cum acceptis illis literis extremum vale Regi dixisset, & ad nauem iterum reuersus esset, sublatis statim anchoris ex portu illo soluerunt, cursum suum *Patanem* versus dirigentes.

Insulæ Moluccia quot sint.

Cæterum Insulæ hæ Molucciæ non longe ab Æquinoctiali distantes, numero quinque recensentur, *Ternate* nempe, *Tidore*, *Motier*, *Makian* & *Batian*, quarum *Tidore* quidem Septentrionalissima est, eleuationem siue latitudinem 1. fere gradus Septentrionem ab æquinoctiali versus, longitudinem vero 168. graduum obtinens. Insula *Ternate* adiunctam sibi in Septentrionali latere exiguam aliam *Hirri* dictam, ad austrum autem *Tidorem* habet, quæ capacior quam *Ternate* putatur, tamque exiguo interuallo à se inuicem distant, vt vel sclopi displosione ex littore huius ad littus alterius pertingere possis. Nihilominus tamen loco inter vtramque medio exigua quædam Insula *Metare* nomine, cernitur, quæ ad Ternatensem Regem pertinet. Versus austrum à *Tidore* progressis Insula sterilis *Macre*, vel à Lusitanis *Piero Canello* dicta occurrit, iuxta eam *Motier* & postmodo *Makian*, tandemque *Batian*, quæ australissima omnium est, sitæ sunt. Excurrunt autem ad littus *Gilolo*. Montes altissimos habent multis arboribus consitos, maxime vero in *Ternate*, vbi mons aliquis, in summitate seu cacumine sulphure semper, maxime vero vento Septentrionali spirante, ardens conspicitur.

Fructus harum Insularum, vnde toti orbi innotuerunt, Caryophylla sunt,

Caryophyllorum in Moluccis Insulis nascentium descriptio.

ſunt, quæ vero ad vitæ ſuſtentationem pertinent, vt ſunt Oryza, frumentum & alia, eorum ibi nihil creſcit, quamuis id ex negligentia potius incolarum, quam ex ſoli vitio fiat. Maxima autem Caryophyllorum copia ad *Makian* & *Ternatem* reperitur, *Bakian* minimum ſuppeditat, *Tidore* vero & *Motier* mediocritatem obtinent. Creſcunt autem in altiſſimis arboribus, quæ in montanis cernuntur aliis permixtæ, ad dimidium fere miliare à littore. Folia habent laurum æmulantia, niſi quod aliquanto tenuiora & in extremitatibus plus acuminata ſint. Dentibus contrita ſaporem Caryophyllorum expreſſe referunt. Fructum arbores ſemel tantum in anno ferunt, quamuis omni fere tempore & flores & fructus tam maturi quam immaturi in eis reperiantur. Tempus maturationis horum fructuum incertum eſt, ſed florum tempus eſt, cum venti auſtrales ſpirant, Menſes nempe Iunius, Iulius, Auguſtus & September, quibus æſtum ibi experiuntur maximum. Accidit autem plerunque, vt quo tempore arbores hæ maxime florent, copioſiſſimæ pluuiæ decidant & per dies aliquot continuentur, maximo cum florum detrimento, qui humores eiusmodi frigidos ferre non poſſunt, ſed nihilominus tamen fructus per annum ſatis copioſi in arboribus cernuntur; ſimulatque enim pluuiæ iſtæ ceſſant, & nouo calore ſolum reficitur, arbores florere de nouo incipiunt, atque ita poſtmodo fructus ferunt, licet flores priores omnes fere amiſerint. Decerpuntur plerunque & colliguntur quarto poſtquam floruerunt menſe, & tum ſolum ſub arboribus herba omni nudatum complanatur, & frondes arboris exteriores, funibus coarctantur atque conſtringuntur, vt vndique aſcenſus eo melius pateat, & fructus eo commodius decerpi atque colligi poſſint. Neceſſe autem eſt, vt quatuordecim dierum ſpacio omnes decerpantur: ſi enim fructus iſti maturi in arboribus iuſto diutius relinquantur, virtutem omnem amittunt, atque intumeſcunt ſapore omni amiſſo. Itaque vt maturitatem fructus illos aſſecutos incolæ animaduertunt, nullis laboribus parcere ſolent, vt eos quamprimum decerpant, idque eo magis quo prouentus maior cernitur, quod vnoquoque triennio fieri plerunque ſolet: tunc enim tanta copia fructus illi proueniunt, vt ab vna ſæpe arbore duo *Baria*, quæ 1250. libras Hollandicas faciunt, ſiquidem *Bar* vnum 625. libras continet, colligantur. Fructus hi, quando decerpuntur, rubent nonnihil, & Sole exſiccati rubedinem iſtam retinent. Fit autem interdum, vt propter pluuias continuas ad ignem eos exſiccare neceſſe ſit, & tunc nigredinem ex fumo contrahunt, & apud noſtros in maiori precio ſunt, quamuis ſine vlla cauſa, cum quoad ſubſtantiam & virtutem à rubentibus nihil differant. Cæterum fructus hi humoris admodum appetentes ſunt, & humorem facile attrahunt. Hinc Ternatenſes affirmant, quod tempore eo, quo fructus hi maturitatem aſſequuntur, fontes ipſorum aquam amittant & putei exſiccentur, quanquam non facile id credi poſſit. De prouentu & abundantia horum fructuum tale prognoſticum habent: Fructus in *Gilolo* creſcit ipſis *Lanca* dictus; hic ſi quãdo magna copia prouenit, abundantiam horum quoque fructuum ſignificare & arguere dicunt. Fructus autem ille prunis noſtris cereis ſimilis eſt & tribus ante Caryophylla menſibus floreſcit.

De fructibus & incolis Moluccarũ Insularum.

Sed hæc hactenus de Caryophyllis, quæ fere in his Inſulis tantum, & in *Amboina* proueniunt, tametſi in minorib. illis Inſulis *Hirri* & *Metare*, quarũ ſupra mentio facta eſt, quædam etiam inueniantur. Quod ad fructus alios, nempe *Coquos* ſiue nuces Indicas, *Bananas*, *Mangas*, *Duriones* & ſimiles attinet,

tinet, eorum exiguus quidem ibi prouentus est, sed mala aurea saporis prę-stantissimi reperiuntur. Incolæ harum Insularum staturæ mediocris, sed melius proportionatæ sunt respectu aliorum in India populorum, qui staturæ longe sunt minoris quam hi, qui Septentrionem versus habitant. Membra bene sunt decorata, colore fusco, non omnino nigro nec etiam flauo. Barbæ habent plus quam alii, & senes quidem eam magno studio nutriunt, vt authoritatis inde aliquid acquirant. Vestitu vtuntur admodum decoro & honesto, tunica nempe oblonga ad genua vsque demissa, ex eleganti panno, quem ex *Bengala* acquirunt, quamuis habeant etiam pannum peculiarem, quem ipsimet ex arborum corticibus eleganti admodum artificio contexunt. Adolescentes & viri iuuenes annulos in capite gestant ex gossypio conuolutos, quos diebus festis variis floribus exornant. Vestitus superior totus pellucidus, & in pectore apertus est, laxis manicis, quas ad humeros vsque protrudere inuolutas possunt, vt plerunque brachiis nudis incedant. Vestitus inferior ad genua vsque demissus ex holoserico vel alio sericeo panno qualis ex Bengala affertur, constat. Diebus autem festis vestimenta sua iucundo fumo imbuere solent, vt bene olentes inueniantur, & eo gratiores puellis habeantur.

Religionem fouent Mahometicam, naturæ autem sunt humanioris, affabilis, non superbæ aut contumacis, vnde vitam quietam & pacificam agunt, maxime qui ex vna sunt ciuitate & societate. Cum vicinis autem & alterius cuiusdam Insulæ habitatoribus crebræ ipsis lites, contentiones & bella intercedunt. Armis suis vti nouerunt optime, suntque tam fortes in pugna, vt sui similes per vniuersam Indiam non habere dicantur. Præ cæteris autem Ternatenses hac in parte excellunt. Dedecus enim maximum esse putant, si quis hostem suum fugiat, etiamsi is viribus præualeat, tum enim mortem pugnando oppetere honestum admodum existimant, quemadmodum etiam honestum ducunt contra multos simul pugnare. Arma ipsorum sunt gladius & clypeus. Caput vero galea tegunt, & gladios habent præfractis quasi cultris similes, qui ad cotem rursus exacuati fuerunt, circa manubrium tenuiores sunt. In extremitate autem lati & admodum graues, vt mirum sit, eos tam dextre eis vti posse. Clypei ipsorum ex leuissimo ligno sine omni ferro constant, duas spithamas lati & quatuor pedes longi, vt totum fere corpus eis tueri possint. Hisce armis tam prudenter & dextre vti norunt, vt omnem in eis exercendis vitam posuisse putentur. Bella maxime maritima gerunt, triremibus & nauiculis aliis, quas ipsi *Corcoras* vocant, congressi. Naues istæ tam angustæ sunt, vt vix sine euersionis periculo, & non nisi multorum remigum opera promoueantur. Itaque in nauibus illis interdum plures, interdum pauciores inueniuntur serui remiges, qui partim in naui, partim vero extra eam leuibus transtris siue subselliis ex arundinibus factis, insident, vt & pugnantibus impedimentum nullum faciant, & nauem tanta celeritate promoueant, vt vel sagittæ instar in mari feratur, & celeritas eiusmodi apud nullas nationes alias inueniatur. In bello tympanis vtuntur minoribus, quæ omnes remiges pulsare etiam in ipso opere possunt, & potest facile ex cõcentu, vbi domum reuertuntur, de fortuna eorum iudicari. Cum enim victores sunt, cum ingenti strepitu reuertuntur multis hostium trucidatorum capitibus ad proram triremium appensis. In medio triremium tormenta duo ænea constituta habent, quæ ad partes varias conuertere subinde norunt. Sub pugnæ initium iaculis vtuntur, quæ proiicere magna & celeritate & dexteritate possunt, postmodo ad sclopeta progrediuntur,

Religio, bella & arma Molucensium.

quæ in magno precio habent, & tandem gladiis magna agilitate inuicem decertant.

Moluccenſes ignauo otio deditiſunt. Cæterum populus iſte otio quam maxime deditus eſt, nec facile aliquis laborare ibi, niſi ſeruus & mancipium ſit, inuenitur. Opifices plane nullos habent, in omnibus enim mancipiorum opera vtuntur, nec de vllis rebus aliis, præterquam quibus ad ſuſtentationem vitæ opus habent, ſolliciti ſunt. Ædificia ſua mancipiorum opera extruunt, materiam nullam præter ligna & arundines ad ea adhibentes, ita vt ne clauus quidem ferreus prætereа accedat. Supellectilem domeſticam non habent præter ollam & patinam vnam atque alteram fictilem, quibus carere nulla ratione poſſunt, itemque ſtoream vnam atque alteram, ex arborum corticibus contextam, in qua dormiant, tam Nobiles quam vulgares alii. Diuitias enim & opes colligere plane nullas expetunt, ſed vitam tranquillam & ſecuram degunt, nullis etiam commerciis rem facere expetentes. Nam commercia omnia peregrinis relinquunt, qui in *Bengala, Pegu, Dely* & alibi locorum habitant. A Luſitanis autem, quæ deſiderant, mutuantur, data ipſis hypotheca, quæ precium iſtius rei duplo ſuperet, precium vero tempore, quo fructus Caryophyllorum colligunt, perſoluunt, atque ita ſemper pauperes manent, nec meliorem facere conditionem ſuam vnquam poſſunt.

De pecunia, lingua & moribus Moluccenſium aliis. Pecuniam nullam habent, ſed opes & diuitias ſuas ex abundantia Caryophyllorum æſtimant, pro quibus etiam quod opus eſt comparant. Cæterum ad emendas res viliores *Sagu* vtuntur, qui panis eorum eſt, ex radicibus arborum confectus. Argento interdum delectantur, ſed nullam aliā ob cauſam, quam vt inde vaſa varia, & alia quibus opus habent parent. Lingua eorum peculiaris eſt, & nullā cum aliis per totam Indiam affinitatem habet. Scribentes vero literis Arabicis vtuntur. Vxores quidem ducere ipſis licet, quotquot ſuſtentare poſſunt, ſed paupertas, qua premuntur, ipſis facile modum hac in re ponit. Zelotypia autem ſuarum cōiugum & filiarum ardent maxima, nec quenquam ad eas viſendas domum ſecum adducunt, quin imo ſi quis eos conuenire velit, in veſtibulo ædium manere cogitur, nec ad interiora admittitur. Ducturus puellam aliquam, ſpectatum eam nequaquam admittitur, donec inter parentes & conſanguineos vtriuſque partis de dote & donatione propter nuptias conuentum ſit: tunc enim puella ipſi per parentes offertur, quæ eum vel nunquā antehac viſum habere cogitur. *Mulierum in Molucis ornatus.* Sunt mulieres horum locorum ſtaturæ, reſpectu aliarum per Indiam mulierum, mediocris, veſtitu non tam decente quam viri vtuntur, capillumque varie circa caput conuolutum, & in nodum poſteriore capitis parte colligatum gerunt, vt nullus in eis ornatus conſpiciatur: interim tamen natura admodum laſciuæ ſunt, vnde licet diligentiſſime domi cuſtodiantur atque aſſeruentur, viris tamen ſuis fideles raro permanent, penes quos eas tali caſu vel interficiendi, vel (quod plerunque fit) à ſeſe dimittendi, poteſtas maxima eſt.

Moluccæ Inſulæ quot Reges habeant. Inſulæ hæ omnes ante hæc tempora ſuum quæque peculiarem Regem habuerunt, hodie autem duæ illæ *Makian* & *Motier* ad Regem Ternatenſem pertinent, duæ autem reliquæ *Tidore* nempe & *Batian* ſuos adhuc peculiares Reges habent. Reges autem hi omnes quoad recordari ſubditi poſſunt, ex vna ſemper & eadem familia originem traxerunt. Permagni n. id faciunt & multum eo ſibi placet, quod ſtemma ſuum à Regibus deriuare ſciunt. Quinimo hodie adhuc conſuetudinem iſtam habent, vt matri-

monia

monia inuicem contrahant, atque ita liberos accipiant hæredes ex regio ſtemmate, tam quoad patrem quam quoad matrem prognatos: hi enim eo facilius ad regnorum gubernacula, defunctis parentibus promouentur, ſiquidem mortuo Rege, filii eius ſuccedere in regno non poſſunt, niſi ita populo placeat, penes quem poſtmodum poteſtas eſt, Regem aliquem iterum eligendi, ſed ita tamen vt à Regia familia non aberrent.

Ternatenſes ſemper potentiſſimi fuerunt, vnde Luſitani eos primo omnium acceſſerunt, qui à *Chaianiri* etiam, quem Regem tum habebant, humaniſſime ſunt excepti, facta ipſis poteſtate caſtellum aliquod in terra iſta extruendi. Non multo poſt autem, quam ſeſe rebus omnibus munierant criſtas erigere, & Regi ſubditisque ſe opponere cœperunt, libidinem & impudicitiam cum mulieribus exercentes, vt deceptum ſeſe horum populorum conſuetudine Rex breui animaduerteret, & valde doleret, quod tot immunitatibus Luſitanos donaſſet. Incolæ ſimiliter abhorrere ab illis incipiebant, quos paulo ante omni honore & fauore dignos putauerant. Cum enim in opere eſſent & caſtellum ſuum extruerent Luſitani, nemiņē qui ædificationem vel lapides aſportando vel aliud quid agendo iuuarēt, ſine munere aliquo non dimittebant, finito autem opere, verberibus eos non muneribus amplius decorabant, nec quiſquam incolarum appropinquare ad arcem audebat, vnde ingens ipſis odium conflatum eſt, quod indies magis auctum eſt, donec Præfectus Luſitanicus Regem in arce nefario ſcelere interfecit. Cum enim is aliquando paucis ſtipatus comitibus, ad caſtellum profectus, de quibuſdam rebus cum Præfecto ſermonem inſtituiſſet, & vero verbum aliquod duriuſculum inter loquendum protuliſſet, arrepto ex feruore animi pugione ſemel atque iterum eum confoſſum, in terram proſtrauit, vt paulo poſt inde moreretur. *Luſitanorũ ad Moluccas aduentus.*

Incolæ igitur hoc intellecto, varia, quomodo mortem Regis ſui vlciſcerentur, conſilia ceperunt, cumque impoſſibile ipſis videretur caſtellum illud expugnare, rationem inierunt eiuſmodi, vt nihil cibariorum eis adferri permitterent. Factum autem tum temporis iuſto forſitan Dei malitiam hanc punire volentis iudicio eſt, vt integro anno nihil ex *Malacca* nauium adueniret, itaque diuturna fame preſſi Luſitani, caſtellum deſeruerunt, quod, ſi diem adhuc vnum tantum expectaſſent, retinere facile potuiſſent, cum triremis ex *Malacca* aduenieṅs eos ſubleuare facile potuiſſet. Verum enimuero cum locum iſtum caſtello egreſſi iam reliquiſſent, recuperare eum & occupare amplius non poterant, ſed *Tidorem* ſtatim ſeſe contulerunt, vbi caſtellum ſuum hactenus habuerunt, capitalem Ternatenſium inimicitiam haud ſemel experti. *Luſitani ex Ternate iterum eiiciuntur.*

Rex Ternatenſis Scipidinus hodie vocatur, eſtque multarum Inſularum Dominus, quarum præcipue ſunt *Ternate*, *Machian*, *Motier*, *Amboin*, *Gilolo*, *&c.* Vocat ſe etiam Regem in *Cibeles*, quamuis nihil ibi, præter loca quædam bello acquiſita, teneat. Similiter & in *Maginado* ſiue *Mindanao*, *Soleni*, *Menos* & multis aliis Inſulis. Filius eſt Regis, qui ante ipſum ibi fuit, nomine *Baxa*, quæ dictio patrem ſonat. In ſummo autem ſunt apud ſubditos ſuos honore & authoritate, qui ſeſe omnes mancipia & ſeruos Regis profitentur, cumque bellum Regi gerendum eſt, coguntur quilibet propriis ſumptibus eum ſequi, nec quiſquam eſt, qui vel hiſcere contra audeat. Si forſitan domo vel fundo alicuius delectetur, poteſt ei imperare vt loco cedat, & domum illam ſibi permittat, itaque cum Generalis domum aliquam pro ſociis ſuis ibi relinquendis peteret, iuſſit ſtatim aliquem *Regis Ternatenſis mores varii.*

domo cedere,deditque poteſtatem Hollandis,eam ſuis commodis aptam faciendi. Non placebat id quidem ædium Domino,ſed diſſimulare tamen id cogebatur, itaque Generalis Quæſtori ſuo in mandatis dedit,vt cum eo clam tranſigeret, quod quidem difficile non fuit, Domino ædium facile oblatis muneribus acquieſcente. Multas plerunque Reges vxores domi ſuæ alunt,cum quibus etiam maximam partem vitæ ſuæ tranſigunt,cumq; in mari ad ſclopi alicuius maioris ictum, remotas quaſdam à littore ædiculas habeant, voluptatis cauſa eo ſæpe cum quibuſdam ſuis vxoribus excurrunt, per dies aliquot ibi commorantes, & ſeſe cum illis oblectantes, quæ quidem ſumma in calidis iſtis locis voluptas eſt; vnde ad littus maris plerunque etiam habitare videntur.

Reditus Regum in Ternate. Reditus Regum in *Ternate* ſunt decem de Centenis, nempe in fructu Caryophyllorum, quod loca illa *Ternatem*, *Amboin*, *Machian* & *Motier* attinet, reliquæ enim Inſulæ aurum perſoluunt. Mercatores vero peregrini eo aduenientes coguntur vltra decem illa de centenis, adhuc quinq; *Sabandari* perſoluere, quod quidem vectigal ſatis graue eſt, & de illis tantum bonis numeratur, quæ ibi coemuntur: nam quæ eo aduehuntur, plane libera ſunt. Pecorum, auium,piſciumque ingens ibi penuria eſt. Bubalos quidem habent,ſed raros admodum,capellæ ſimiliter raræ ſunt. Aprorum autem magna copia eſt; quorum quidem carnibus veſci lege & ſtatutis prohibentur. Conficiebant autem non paucos, in Hollandorum gratiam, qui eos ad naues ſuas poſtea traducebant. Gallinarum ibi ingens eſt copia, vt & columbarum,gallinas magnitudine æquantium,quarum haud leue aucupium eſt. Pſittaci varii coloris ibi conſpiciuntur, vt & genus quoddam auium, quas Paradiſi noſtrates vocant, tametſi ibi non capiantur, ſed paulo vlterius verſus Orientem in Inſula quadam, quam *Papouas* vocant. De his auibus Europæi paſſim credunt, quod ſemper in aere volitantes ſe contineant, nec vnquam in terram ferantur, vtpote quæ pedibus careant,quos in eis nunquam cernere eſt. Verum opinio hæc falſa & inanis eſt: habent enim reuera pedes, vt aliæ volucres,binos,ſed ipſi illis quamprimum capiuntur, vna cum potiſſima corporis parte præciduntur, ita vt nihil præter caput, collumque cum exigua corporis particula plumis veſtita, amplius ſuperſit, quæ omnia cum ab æſtu Solis indurantur & exſiccantur, fit vt ita creata eſſe animalia illa appareat. Quod quidem hic pro refutatione erroneæ illius,de his auibus per totam fere Europam opinionis,afferre viſum eſt.

Volucres in Ternate.

Volucres Paradiſi an ſine pedibus naſcantur.

Piſcandi ratio varia apud Ternatenſes. Piſcium in hac Inſula magna etiam raritas eſt, præter *Bonitas* enim vix quicquam piſcium reperitur. Duplex autem ipſis piſces capiendi modus & ratio eſt. Primus modus talis eſt:Bini ſemper nauiculam piſcatoriam ingreſſi ad littus maris oberrant, altero in poſteriore parte conſidente, & remo nauiculam quocunq; velit propellente, altero vero in anteriore parte conſtituto, & arundinem acuminatam manibus tenente, quaſi quando piſcis aliquis ſeſe ei in conſpectum dat, eum ſtatim conficit, & confectum in nauiculam ſuam recondit. Alter modus ita habet: Herbas quaſdam muſco,cuius in coarctandis & obturandis nauium rimulis vſus eſt,ſimiles, in faſciculũ collectas, & funiculo ſatis longo colligatas in mare abiiciunt. Piſces igitur eſcam ſubeſſe rati,magna ad faſciculum iſtum impetu feruntur, verum cum dentibus eum mordicus appræhenderunt, exſoluere ſe tam cito nequeunt, atque ita cum faſciculo illo ad littus protrahuntur.

Sed

Sed hæc hactenus de Moluccis Insulis dicta sufficiant. Cæterum Hollandi postquam à *Ternate* soluissent, ad Insulas *Celebes* cōmodo vento prouecti sunt, cum vero à *Manade* non procul abessent, venti non solum remittere, sed & fluctus ipsis in occursum tendere tanto impetu cœperunt, vt non modo non promouere nauigationem possent, sed & post dies aliquot regressos sese ad leucas quindecim animaduerterent. Cum igitur viderent nihil sese hac ratione proficere posse, statuerunt Septentrionem versus, circa *Borneum* tendere, ad fretum *Tagima* cursum dirigentes. Vt assecuti sunt autem 4. vel 5. graduum altitudinem, tanta eos appræhendit ventorum & procellarum tempestas, vt subinde euersionem nauium timerent, & propterea carbasa velaque omnia colligere necesse esset. Quamuis autem non parum obluctarent, ad vadum tamen reiecti protinus in præsentissimum peruenerunt periculum. Cum igitur animum fere omnes iam desponderent, diuinam tandem opem & liberationem experti sunt, vt vento subito mutato periculum euaderent.

Hollandia Ternate recedentes, quid experti sint.

Postquam iam magno labore & periculo fretum *Tagima* superassent, proiectis ad Insulam quandam *Des Forcados* anchoris, nautas & mercatores omnes Generalis conuocauit, cumque ventos omnes australes esse videret, quæsiuit ex illis, putarentne, ventis hisce spirantibus ad *Patanem* veniri posse? qui impossibile id esse, nisi tempestas illa mutaretur, responderunt. Ignorantibus igitur quid facto optimum esset, vix enim decem & amplius septimanis mutatio ventorum speranda erat; deliberare eos iussit, consultumne putarent, *Chinam* versus, vnde ducentas adhuc leucas abessent, velificationem instituere: sibi enim ita videri non posse eos iter conuenientius eligere, quod nauigationi *Patanem* versus, magis obesset. Nam licet, duas alias naues eo directas sciret, fieri tamen posse, vt vel nondum eo peruenerint, vel non omnes merces inde abduxerint, vt si nihil aliud efficerent, eiusmodi tamen saltem potirentur mercibus, quæ in *Iaua* & *Banta* habitantibus acceptæ essent, & quibus aromata melius quam præsenti pecunia comparare possent. Cum igitur ab omnibus in hanc sententiam facile iretur, sublatis anchoris, iter iterum ingressi sunt, idque per innumeras Insulas, & fluctus maris maximos, non sine periculo & metu maximo, cum præsertim in ignotis plane locis, & ora numquam cognita versarentur.

Deliberatio de nauigatione Chinam versus suscipienda.

Nauigatione autem per dies aliquot facta, tandem ad Philippinensium Insularum quandam, *Coyo* dictā, appulerunt. Sita ea est sub eleuatione 11. graduū, portu conuenienti prædita, qui Orgyarum 18. profunditatem habet. Longitudo Insulæ trium leucarum est, eximiæ fertilitatis. Incolæ Hispanis tributarii sunt, quemadmodum omnes fere alii in vicinis locis habitantes. Hollandos autem amice admodum exceperunt, & Oryzæ ipsis aliquid obtulerunt, licet non vsque adeo magna copia ibi crescat. Substiterunt autem ibi per tres dies, donec meliorem nacti tempestatem, sublatis anchoris 28. Augusti die inde iterum progrederentur. Sequenti autem vespera ad Insulam quandam appellantes, naui descenderunt, visuri an homines ibi inuenire possent; sed neminem, licet hincinde obambulantes, vestigia & signa humana viderent plurima, inuenire potuerunt. Tertio post suum ex *Coyo* discessum, ad Insulam *Mendare*, non procul à sinu *Manille* distantem appulerunt. Ventus autem semper contrarius ipsis erat, ita vt quantum per diem progrederentur, tantum per noctem regrederentur, consumentes hac ratione inter *Mendare* & vicinas Insulas integrum

Perueniunt ad Insulam Coyo.

occiduum cum perpetuo periculo ad ſcopulos impingendi, cum tractus ille vltra 10. vel 11. leucas non pateat. Cum igitur putarent ſe vento auſtrali, quem per totum diem habuerant, in mare iterum peruenturos, ſub veſperam ille omnino ceſſauit, & depræhẽderunt ſequenti die, ſe ad quinque vel ſex leucas regreſſos eſſe. Parum autem aberat, quin ad *Coyo* Inſulam iterum reuerterentur. Itaque cum quindecim dies in opere fuiſſent, & ſcapham ſuam maiorem vi tempeſtatis amiſiſſent, in mare tandem inter medias procellas, & ventorum turbines varios deſcenderunt, & die poſtquam fretum *Mandare* ſuperaſſent, vndecimo ad terram ſibi ignotam appulerunt.

Tempeſtates experiuntur multas & graues.

Die 20. Septembris, cum iactis in profundum anchoris, nauarchus rationem & profunditatem loci exploraret, certis ſignis & nutibus incolarum ſe via regia longe aberraſſe depręhendit. Declarabant autem incolæ illi humanitatem erga Hollandos, offerebantque eis piſces ſatis copioſos, pecuniam pro illis accipere nolentes, licet eis aliquoties offerretur, vnde ſpem concipiebant, fore, vt ad locum optatum tandem perducerentur. Sequenti igitur die, ſublatis iterum anchoris, an labore ſuo nauigationem promouere poſſent tentarunt, ſed fruſtra ſuſcipiebantur omnia, ſub veſperam enim ad locum vnde mane egreſſi erant, reuertebantur. Durabat autem tempeſtas illa vno atque altero die, vento ex Septentrione fluctus maximos concitante, cumque ille in Zephyrum mutaretur, littus ſeſe tranquille aſſecuturos putabant. Verum antequam illud fieret, tanta denuo procella cum turbine & pluuiis ingruit, vt quam extremum ſibi imminere exitium cogitare aliter nõ poſſent. Erat enim tempeſtas ei perſimilis, quam circa 17. gradum in auſtrali ab Æquinoctiali plaga ſupra eos expertos fuiſſe annotatum eſt. Furebant venti tanto cum fragore & impetu, ac ſi omnia ſubuertere vellent, hinc tanti in mari fluctus exurgebant, vt malus in naui anterior vndis prorſus obrueretur, latera nauium frangerentur, carbaſaque & vela diſrumperentur. Non aberant à terra iam longius, ſed per tempeſtatis & pluuiarum tenebras proſpicere eam minime poterant, & durabat tempeſtas illa à media nocte ad meridiem vſque, cumque iterum deſiiſſet, circa veſperam tandem 26. Septembris, littus aſſecuti ſunt.

Aedificia quædam mari imminentia Hollandis cernuntur.

Terra hæc vna ex Inſulis erat ante *Cantonem* ſitis. Videbantur autem ſibi 12. vel ad ſummam 15. adhuc leucas à Macao abeſſe, conſtituebantque ſequenti die progredi, & quo locorum eſſent rectius explorare. Cum autem ad tres vel quatuor leucas proceſſiſſent, cernebant ad radices montis alicuius admodum excelſi tuguria quædam, quæ magni alicuius pagi ſpeciem præbebant. Sed & nauigia quædam ipſis obuiam procedebant, in quorum ſingulis vir quidam cum muliere & paruis liberis ſedebant, vt habitare quaſi in illis viderẽtur. Nolebant autem propius accedere, ſed eminus ſubſiſtebant cumque linguam præter vernaculam ſuam non intelligerent, reſpondere Hollandis ad interrogata non poterant. Cum tamen *Macao* ab Hollandis nominari audirent, rati eos de ciuitate illa inquirere, ad montana reſpicientes digitum intendebant in locum illum, quem pagum aliquem eſſe Hollandi putauerant.

Non videbatur autem Hollandis veriſimile ad ciuitatem *Macao* ædificia illa pertinere, cum mari nimis vicina eſſent. Exiſtimantes igitur ſignificare eos nutibus ſuis voluiſſe, ab altera montium iſtorum parte ciuitatẽ illam poſitam eſſe, cum præſertim naues nullæ ſiue magnæ ſiue paruæ in

littore

littore illo viderentur, quibus emporia destitui facile non solent. Quæstorem suum cum armatis aliquot ad terram, vti locum illum rectius exploraret, miserunt, addito mandato, ne longius iusto progrederetur, sed quamprimum ad naues iterum reuerteretur. Verum de hoc postmodum cognouerunt, Deo vti reuerteretur visum non fuisse.

Inscii ad Macao ciuitatẽ appellunt.

Vt vespera autem facta est, cum neminem redire viderent, nihil boni cogitare poterant, & Generalis in varias curas distractus parum per noctem illam quieuit, sed & ventus paulo vehementior solutas ab anchoris naues propellere cœpit: hærere enim in fundo paludoso & procellis resistere amplius non poterant. Agebantur autem versus ciuitatem tanto impetu, vt antequam anchoras attrahere & sese firmare denuo possent, littori iam iam imminere se viderent. Cum igitur dies facta esset, certis indiciis pagum eum esse ipsam ciuitatem *Macao* depræhenderunt; videbant enim templum in montibus Lusitanicum cruce cærulea insignitum, vnde in sententia sua magis magisque confirmabantur. Mirari autem satis non poterant, quod redeuntem ex suis neminem etiamnum viderent, nec dubitabant amplius quin ab incolis in vrbe detinerentur. Nondum autem finis malorum, sed noua ipsis parabatur calamitas. Cum enim viderent se in maximo versari periculo (anchoras enim fundo isti laxiori inhærere & nauem à subuersione prohibere, si ventus paulo maior ingruisset, impossibile erat) nauis suæ rectorem cum calore versus minores illas Insulas ablegabant, quarum ex opposito ciuitatis triginta septem plus minus cernebantur, exploratum profunditatem & visum an stationem nauibus suis conuenientem ibi habere possent. Sperabant enim se ibi tutius subsistere posse, sed præter breuia & syrtes toto isto tractu nihil depræhendere poterat. Quod si igitur anchora ibi proiecta substitisset, proculdubio tantum mali expertus nunquam fuisset, auxilio ex naui *Gouda* accepto; verum desiderio profunditatem explorandi nimio teneretur, & iusto longius à nauibus prouectus esset. Cum igitur cursum vertere & redire ad naues vellet, aduerso apprehensus vento anchoram proiicere coactus est. Sub vesperam autem scapham ab vrbe aduectam videbant, quam si non suam, amicam tamen certe putabant, cum præsertim vexillum album ei affixum esset. Verum enimuero scapham hanc paulo post quinque aliæ ab vrbe sequebantur, Celocem Hollandicam magnitudine sua æquantes. Simulabant autem fugam ab vrbe, & recta versus locum illum, vbi rectorem nauis cum celoce hærere diximus, contendebant. Ille igitur dolum videns, leuata statim anchora, periculum euadere & ad naues properare frustra conabatur. Superuenientes enim incolæ, eum appræhensum & vinculis ligatum vna cum celoce & sociis, antequam auxilio ei naues aliæ venire possent, abduxerunt.

Celocem suã cum sociis aliquot amittunt.

Commodi equidem parum cum ea celoce experti etiamnum erant: præterquam enim, quod magno labore ligna & materiam eius acquisierant, in *Ternate* Insula ad septimam vsque septimanam subsistere, donec eam parare & extruere possent, coacti fuerant. Sed & in extremum sæpenumero qui ea vehebantur periculum inciderant, & ventos procellasque maximas sustinuerant. Iam autem cum periculum euasisse, & vtilitatem aliquam inde percipere sese posse sperarent, plane ea spoliabantur, amittentes simul præstantissimos quosque viros numero viginti, quorum quindecim ad Goudam, quinque vero ad Prætoriam nauem pertinebant, inter quos Quæstor erat, Rectorque supremus & tribunus militum,

Nauar-

Nauarchi in celoce munere fungens. Vt viderunt igitur Hollandi sibi celocem illam vi ablatam, poterant facile exinde colligere, incolas illos extremam suam perniciem quærere, cum præsertim neminem se accedere viderent, tametsi pacis signum nauibus suis affixum esset. Itaque triduo ibi in extremo periculo morati, ventum Septentrionalem expectabant, postea progressi paululum, vt ad Insularum prædictarum aliquam extra periculum sese dimitterent. Propter tempestates frequentes hinc inde oberrarunt, donec tandem medio inter scopulum angulumque aliquem tramite prouecti, non sine periculo maximo portum aliquem assequerentur.

Deliberatiõnem instituunt de suis iterum recuperandis.

Deliberantes autem quid factu optimum censeretur, vt socios suos captiuitate illa liberare & recuperare iterum possent; non audebant enim aliquem ex nauibus ad ciuitatem mittere, quod is præsentissimæ morti expositus videretur. Literas igitur tandem ad *Lorthios* (sic enim vocantur, qui Magistratum gerunt) dare decreuerant, eosque verbis amicissimis rogare, vti suos remittere ad naues vellent, siquidem mercatores essent, & nullam ob causam aliam ad loca illa venissent, quam vt commercia & negotiationes suas cum incolis amice exercerent. Quod si hostium numero haberentur, obseruarent tamen ius belli, & precium redemptionis pro captiuis illis peterent, siquidem id etiam apud barbaros quosque vsu receptum esset. Nolle se quidem inuitis illis in regione illa commorari diutius, sed statim discedere quamprimum suos iterum recepissent. Has literas vti in ciuitatem mitterent, statuebant cymbam aliquam ex vicinis Insulis afferre, & hominem aliquem oblata pecunia inuitare, vt literis ad vrbem delatis respõsum sibi afferret. Dum his cogitationibus occupati essent cymbam aliquam cum quatuor hominibus, duobus nempe viris & duabus mulieribus, ad sese appropinquantem viderunt. Erat inter illos, qui linguam Lusitanicam vtcunque callebat, cum hoc literas suas commode delatum iri sperabant, sed frustra; quanto enim plus pro deferendis literis offerrent precii, tanto illud recusabat vehementius. Delectabatur quidem Regalibus siue Ioachimicis illis, quos ipsi offerebant, promittebatque se aliquem ex Hollandis ad vrbem delaturum, sed literas in ciuitatem deferre modis omnibus recusabat, significans se extremum capitis periculum, si hoc faceret, subiturum. Nouarchus huic viro cibum potumque proponebat, rogans vt postero die reuersus, aliquem alium, qui ministerium hoc perageret, & cibaria quædam afferret, quæ præsenti redimere pecunia parati essent.

Homines in aquis & nauigiis habitantes.

Cum per totam noctem pluisset, & iam illuxisset iterum, scapham suam pro afferentibus recentibus aquis ad Insulam ablegabant, verum cum dolia aliquot repleta ad naues aduexissent, videbant triginta plus minus scaphas aduenire, quæ iuxta locum, vbi aquam suam hauserant subsistentes, totum illum diem ibi permanebant. Non audebant igitur scapham suam aquas allatum iterum emittere, quod fidere hisce populis non possent, & quid molirentur, ignorarent. Existimabant autem homines istos cum omni familia in nauigiis istis habitationem suam habere, & sese in aqua semper continere, domicilium suum ex loco vno ad alium transferentes, & victum piscatu quærentes, sic enim ex sermone hominis illius, de quo paulo ante dictum, colligere poterant.

Postquam igitur biduo ibi subsistentes, occasionem nullam, vel literas ad vrbem mittendi, vel suos etiam inde recuperãdi inuenire possent; propterea

pterea quod licet amicitiæ ſigna multa præferrent; ex vrbe tamen ad ſe allicere neminem poſſent. Per vim autem aliquid ibi tentare idem fuiſſet, ac ſi quis duabus nauibus inſtructus Hollandiam totam oppugnare molietur. Moras ibi nectere diutius inconſultum putabant, niſi forte naues ſuas direptioni, ſe vero ipſos præſentiſſimæ morti exponere voluiſſent, cũ præſertim quam profundum ibi mare eſſet neſcirent, & cibariorum præter panem in nauibus nihil haberent amplius. Ignorantes igitur, quid de ſuis ſociis factum eſſet, ſublatis anchoris, iter iterum ſunt ingreſſi. Et hæc quidem hiſtoria eorum eſt, quæ ad Chinam Hollandis acciderunt. Quod attinet autem ad loci fertilitatem, incolarumque ingenia & mores, nihil eorum hic referre poſſumus, cum deſcenſionem ibi nemo fecerit, quamuis ex illis quidem, quæ Hollandis ibi acciderunt, de populorum iſtorum barbariæ coniecturam facere facile poſſimus. Peregrinum enim populum tã male accipere, & ſine vlla premonitione aduenientem detinere, nõ barbarum modo, ſed & inhumanum planeque beluinum eſt. Illud autem Hollandis vel maxime dolebat, quod explorare de ſociis ſuis nihil valentes, viuerentne adhuc vel mortui eſſent, neſcirent.

Relictis ad Chinam ſociis ſuis, iter iterum ingrediuntur.

Inſula illa, ad quam hactenus ſubſtiterant, *Sanchonia* dicebatur. Itaque explicatis rurſus velis velificationem continuaturi abierunt. Erat autem tertius Octobris dies, cumque paululum promouiſſent ad breuia delati, vix trium horarum ſpacio inde eluctari potuerunt. Sequenti die ingruentibus iterum ventis, ad vadum Inſulæ *Cynon* fluctuum celeritate abrepti ſunt, vnde ne ad *Cauchin-cinam* peruenirent, periculum erat maximum. Progreſſos autem ad 15. eleuationis gradum tanta tempeſtatum & procellarum vis appræhendit, vt carbaſa contrahere vix labore maximo poſſent. Erant ibi ſyrtes & vadum *Puloceni*, cumque à littore non abeſſent iam longius, periculum ipſis haud leue imminebat. Si enim ad littus delati fuiſſent, ſalui quidem inde recedere nunquam potuiſſent. Deus autem & hoc in loco ipſis adfuit, fecitque vt ventus circa veſperam remitteret, & in auſtrum ſeſe conuerteret, quo facto angulum ſuperarunt, & euitatis difficultatibus, curſum ſuum optime promouerunt. Totus iſte tractus ſcopulis repletus eſt, vnde pericula infinita nauigantibus obiiciuntur. Cum autem dies iterum illuxiſſet, aperiebat ſeſe ipſorum oculis terra quædam, quod quidem mirum omnibus videbatur, cum vix trium adhuc dierum ſpacio terram ſibi promittere durante hac tempeſtate potuiſſent. Erat autem regio *Auarellæ* ad 13. graduum eleuationem ſita, cum tamen ipſi ad 15. etiamnum verſari ſeſe putarent. Cuius quidem erroris cauſa ex fluctuũ dependebat rapacitate, qui ad ſagittarum modum auſtrum verſus tendebant. Subierunt autem Inſulam quandam paruam, & anchoras ad terram *Quami* proiiciebant. Et Generalis quidem aliis ad ingentem quendam maris ſinum dimiſſis, ipſe in terram deſcendebat, viſum an cibariorum aliquid acquirere poſſet, ſiquidem præter panem in nauibus nihil amplius ſupereſſet. Sed homines quidem nullos depræhendebant, tametſi veſtigia bubalorum, aliorumque animantium non pauca paſſim cernerentur.

Periculis multis implicantur.

Cum igitur præter ſyluas & ſolitudines nihil ibi inuenirent, & vero exacto integro biduo, ventorum iterum commoditas ipſis affulgeret, ſublatis anchoris iuxta littus ad *Auarellam Falcam*, cuius eleuatio eſt 11½ graduũ, tranquille progreſſi ſunt. Non erat autem tranquillitas illa diuturna: venti enim ſtatim à meridie iterum ingruebant, eosque de ſtatione quadam cogi-

Perueniunt ad Auarellã Falcam.

cogitare compulit. Cæterum elegantem maris ſinum ingreſſi cum ab omni ventorum periculo tutos ſeſe ibi eſſe viderent, anchoras ad Orgyas duodecim proiecerunt. Reperiebant autem ibi aquam potabilem, loco quem incolæ ipſis monſtrabant, qui ab aduentu eorum perterrefacti admodum, nil præter fugam meditari videbantur, ſi Hollandi propius accedere non deſtitiſſent. Sinus hic ad quinque leucas in terram excurrit, multis anfractibus & obliquitatibus conſpicuus, itaque non parum mirabantur, quod tam ingentem tantæque commoditatis & oportunitatis ſinum ibi inueniſſent, cum præſertim & nemora ibi & valles cum altis montibus conſpicerentur vndique.

Progreſſus autem aliquando Generalis cum duodecim ſociis in terram illam, veſtigia quædam animalium reperit, quæ adhuc recentia videbantur. Itaque ductum illorum obſeruans, cum ad patentem aliquem campum arboribus circumquaque elegantiſſimis oblitum tandem delatus eſſet, multos ibi bubalos paſcentes partim, partim vero ad fontem aliquem cubantes animaduertit. Erat ibi volatilium etiam ingens numerus. Sperabant igitur, ſe carnes tandem accepturos, & Generalis quidem ſocios ſuos ad loca varia clam diſtribuens ſclopetarios quatuor, qui bubalos aliquot conficerent, mittebat, ſed fruſtra ſuſcipiebantur omnia. Simulatque enim vel odorem ſaltem fumigantium funiculorum nauibus percepiſſent, arrepta fuga in ſyluas & nemora ſe coniecerunt. Progreſſi igitur Hollandi commoditatem aliam quæſitum, orbitam ſiue prætergreſſi currus veſtigia conſpexerunt, quibus inſiſtentes ad agros quidem patentes & nemora ſpacioſa delati ſunt, ædes autem nullas nullaque tuguria, ſed veſtigia tantum quædam, vbi ſub arboribus in vmbra homines cum armentis & pecoribus ſuis requierant, inuenerunt, vnde aliter iudicare non poterant, quam homines illos Tartarorum more in campis viuere, & manſiones ſuas pro paſcuorum variatione ſubinde mutare.

Hollandi quaſi mente capti & faſcinati mirũ aliis ſpectaculum præbent.

Cum igitur præter foueas aliquot, recipiendis aquis, vti videbatur, paratas, nihil inuenirent, ad naues iterum reuerſi, doliis ſuis potabili aqua, quam ex fonte quodam non procul à littore promanantem hauriebant, repletis ex ſinu illo iterum, velificationem continuaturi, ſoluerunt. Vocarunt autem locum iſtum *Sotternym*, idque non immerito: maxima enim nautarum pars ex certo quodam fructuum genere, quod copioſe nimis ibi comederant, quaſi mente capti & faſcinati miſerandum omnibus ſpectaculum præbebant. Quidam aduerſus cubiculum ſuum pugnãtes multis illud repletum eſſe dicebant peregrinis hoſpitibus, qui introitu ſeſe prohiberent. Clamabat alter lemures ex cubiculo ſuo remouendos eſſe, qui ſe quieſcere non permitterent, alter anteriorem nauis malum conſcendens, ſedere ibi Spiritum quendam ſeu cacodæmonem, capiendis piſcibus intentum. Conuerſus ad clauum nauis alter, lignum vniuerſum peregrinis hoſpitibus oppletum dicebat. Clamabat alter lætabundus ſe Deum cum omnibus Angelis eius videre, alter contra tremens gemensq; Diabolum ſeſe cum vniuerſis ſociis eius ſibi aduerſantem habere dicebat. Erat qui obuium habere ſe dicebat aliquem, qui brachio altero virginum, altero vero adoleſcentum cateruam geſtaret. Clamabat alter à ſerpentib. ſe affligi & cruciari miſere. Erant qui tot viſiones ſe habuiſſe dicebant, vt libellum aliquem modiocrem earum conſignatione complere & in lucem poſtmodum emittere poſſent. Et ſane eiuſmodi ineptiæ multæ & variæ in nauibus tum audiebantur & cernebantur, quæ quidem riſum moue-

uere aliis satis multum potuissent, si tam facile in integrum eos restitutum iri nouissent, cum præsertim nemo esset, qui vitæ vel suæ vel aliorum insidias strueret. Fructus, quos comederant, prunis nostratibus minoribus similes erant, teneriores nucleos habentes, quorum maxime hæc operatio fuerat, quæ donec in somnum prolaberentur, diutius non durabat.

Interea dum hæc in nauibus agerentur, progrediebantur optime, vento vtentes optimo, ita vt 21. Octobris *Pulo Cendor* post se remitterent. Sequenti 27. die terram videbant, cuius eleuatio erat 7½ graduum. Putabant quidem Hollandi initio *Patani* eam esse; cum autem propius accederent, videbant oppidum *Sangora* esse, Regi *de Mordillon* subiectum. Incolæ huius oppidi multum ipsis honoris exhibebant, sed & *Sabander* fructuum non parum cum gallinis & tribus bubalis illis donabat. Prospiciebant autem sibi de Oryza, cumque muneribus homines illos affecissent, salutatis illis iterum inde soluentes abierunt. Optauerant incolæ, vt diutius ibi mansissent, vt Regem de aduentu eorum certiorem facere sibi licuisset. Illi autem videntes se parum ibi vtilitatis & commodi percepturos, excusabant sese quam poterant humanissime & viam suam progrediebantur, cursum versus *Patani* dirigentes. Qui locus licet vix miliaria quindecim à priori abesset, propter ventorum tamen aduersitatem vix vndecim diebus eum assequi poterant. Erroris autem ipsorum, quod præcedentem locum *Patanem* esse putauerant, causa ea fuit, quod in tabula Geographica, quam secum habebant, *Patanem* videbant ad septem cum dimidio gradus collocatam, cum tamen paululum solum supra septimum gradum eleuata esset. *Veniunt ad Sangora oppidum Regis de Mordillon*

Cæterum portum ciuitatis *Patani* 7. Nouemb. ingrediebantur, vbi etiam mercium pro nauibus suis satis acceperunt, postquam 9. Menses cum 16. diebus ibi expectassent. Antequam eo venissent, admonebantur sæpius variis in locis, cauerent sedulo, ne ab incolis circumuenirentur & deciperentur. Sed longe aliter rem se habere cognouerunt; neque enim vllum in India tota locum esse arbitror, vbi Hollandi liberalius & honestius quam in hac ipsa vrbe accepti fuerint. Sed non sine causa tamen hæc admonitio facta fuerat. Incolæ enim eius loci ante hæc tempora piratæ omnes fuerant, suntque qui pro certo affirment, ditissimos huius ciuitatis quosque opes & diuitias suas per piraticam sibi comparasse, cuius exercitium Rex modernus plane iam abrogauit & prohibuit. Notandum hic est ad mirationem *Patani* ciuitatis penes mulierem hodie esse, & incolas eã ob linguæ imperfectionem, Regem, æque ac si vir esset, nominare, qua in re & nos eos hic sequemur. *Perueniunt ad ciuitatem Patani.*

Quamprimum Hollandi ad *Patanem* appulissent, adfuit ipsis quidam, cuius officium erat, naues peregrinas scrutari & perlustrare. Hic cum fructus aliquot recentes Hollandis obtulisset, Regem & incolas omnes ob aduentum eorum maxime lætari dicebat. Postero igitur die Generalis aliquem, cui Rocho Petri nomen erat, in terram rationem & qualitatem eius exploratum ablegabat. Is circa vesperam reuersus, sequenti die alium sibi, Ioannem Hoierum nempe, sibi adiungebat. Parum autem proficiebat, asserens quod de commerciis ibi exercendis interrogatus *Sabander* consentire & permittere nihil voluisset, nisi Generalis ipsemet in ciuitatẽ veniret. Quare Generalis assumptis aliquot pro Rege & *Sabandro*, qui in magna ibi authoritate est, muneribus, postero die in terram descendit. Expectabant autem eos in littore duo Elephanti, quorum ministerio ad aulã *Quomodo ad Patanem excepti fuerint*

veherentur, vbi amice admodum excepti ſunt. Exhibebant autem proceribus regni illius diploma Principis Mauritii, cuius exemplar lingua Arabica ſcriptum ipſis prælegebatur, & per Epiſcopum eius loci exponebatur, quod ipſis gratiſſimum erat. Delectabantur vero etiam Rex & *Sabander* muneribus ſibi oblatis, & ſtatim ipſis commercia cum incolis pro libitu ſuo exercere permittebant. Sed & alicui ex primoribus id dabatur negotii, vt cum Hollandis de emendo pipere contraheret & conueniret. Affirmabat hic, non reperiri eo quidem tempore in ciuitate vltra octingentos *Baues* piperis, verum enimuero ſi Menſes ſex vel ſeptem expectare & ſubſiſtere ibi vellent, daturum ſe operam, vti vecturam pro nauibus ſuis plenariam acciperent.

Principio autem piper ſuum nimis care æſtimabat, ſed tandem tamen inter eos de precio conuentum eſt. Cum enim animaduerterent Hollandi, hyemem iam præ foribus eſſe, quo tempore nauigatio propter ventorum & procellarum vehementiam admodum difficilis & periculoſa exiſtit, decreuerunt ibi ſubſiſtere, & commoditatem *Moinſonij* expectare, ſperantes fore, vt interea ſuarum etiam mercium permutationem facerent.

Impetrant domum aliquam in Patani, exercẽdis negotiationibus ſuis conuenientem.

His ita deliberatis de permittenda ſibi domo aliqua Regem rogabant, vbi depoſitis mercibus ſuis negotiari cum incolis commode poſſent, Rex eam ipſis permittebat facile, ſed ita tamen, vt more ibi cõſueto, octo prius proceribus, penes quos ſumma totius Regni adminiſtratio tum erat, quibus etiam Rex cum ſorore ſua adnumerabantur, honorarium prius aliquod ſiue munuſculum offerret. Hoc facto dabatur ipſis poteſtas emendi, vendendi, ſuaque commercia cum quibuſcunq; pro libitu exercendi, ſed vulgares tamen mercatores cum ipſis contraxere priuſquam cum ſuperioribus conueniſſet, & certum emendi vendendique precium conſtitutum eſſet, quod tandem etiam factum conſtitutumque eſt, vt 30. Regales ſiue Ioachimici pro vnoquolibet *Bare* piperis ipſis perſoluerentur. Venerat illud paulo ante aduentum eorum pro quindecim Regalibus, ſed hanc quidẽ Hollandi vbiq; experiuntur fortunam, vt longe maiori aromata ſua redimere precio cogantur, idque propter nauium frequentiam & Regalium, quibus inſtructi ſunt, copiam maximam. Non verebantur initio 50. Regales poſtulare, dicentes ad *Bandam* octo naues hærere, & 60. pro *Bare* quolibet perſoluere. Itaque dum conuenire inter eos de precio poſſet, integer menſis elapſus eſt. Cæterum circa precium illud nihil poſtmodo mutatum eſt. Idem enim quamdiu ibi cõmercia ſua exercerent, permanſit, quod mirari quidem Hollandi ſatis non poterant conſiderata ſumma leuitate & inconſtantia Indorum. Factum quidem eſt poſt dies aliquot, cum duæ adhuc naues Selandicæ illuc aduenirent, vt vulgariores mercatores de augendo precio deliberarint, verum qui precium illud primum conſtituerat proxeneta, ne quicquam penderent amplius prohibuit, quod ſtare promiſſis & pro inuariato precio quantum vtraque nauis capere poſſet ipſis procurare piperis omnino vellet.

Quale piper in Patani acceperint.

Conuentione iam inter eos facta, vt nimirum pro quolibet *Bare* 30. Regales numerarentur, cœperunt iam piper Hollandis tradere, quod initio quidem purum erat, poſtea vero impurum, quale ad *Bandam* plerunque diuenditur. Hoc igitur viſo, Generalis ne quid acceptarent amplius ſuis interdixit, & ad eum qui precium hoc conſtituerat ſe recipiens, ne permitteret, vt impurum ſibi piper obtruderent, petiit, qui reſpondit, omne illud

illud piper, quod ex *Iamby* veniret, (locus is erat vnde piper ſuũ Pataniii accipiebant) impurum eſſe, nec poſſe ſe illud corrigere. Generalis ergo, non poſſe ſe illud eodẽ precio acceptare, quod æquum eſſet, vt ſiquidem bonũ ipſis argentum perſoluerent, ipſi etiam bonum & purum piper appenderent. Commouebatur his dictis nonnihil proxeneta, cui nomen erat *Siruuara*, vir eximiæ apud illos authoritatis. Itaque Generalis eo relicto ad Regem ſeſe ipſum contulit, qui adhibito cribro piper illud purgari iuſſit, quod ita etiam factum eſt, donec naues duæ Selandicæ aduenirent, quod factum eſt 26. Martii, cum ad plenariam vecturam *Bares* fere quingenti ipſis adhuc deeſſent. Hollandi ſuadebant Selandis, vti ipſi etiam non niſi purgatum & cribratum acceptarent piper, ſed Præfectus eorum Gerhardus de Roy reſpondebat, adfuturos ſtatim alios, qui etiam non purgatum magna cum lætitia accepturi eſſent, nec fefellit eum coniectura. Dum enim adhuc in opere eſſent, necdum plenariam ſuam accepiſſent vecturã, aderat ſtatim cum duabus nauibus Admirans Iacobus Hemskirchius, qui libenter etiam non purgatum accepiſſet, dummodo eo adhuc potiri potuiſſet.

Poſtquam igitur prædictæ naues Selandicæ aduениſſent, cogebantur Hollandi, quod adhuc deerat, non purgatum accipere, & ſuo periculo illud purgare, perdentes hac ratione ſex de centenis, atque ita poſt moram ſatis longam vectura ſua plenaria tandem potiti ſunt.

Confectis iam rebus omnibus, munuſculum aliquod Reginæ pro more offerentes ei valedixerunt. Venerat enim illa in propria perſona ad Hollandos, vt cum illis conferret, quod quidem non exiguum beneuolentiæ argumentum illis in locis putatur. Cum autem Hollandi Procuratores aliquot ibi relicturi eſſent, commendatos eos ſibi habituram ſeſe promittebat, vnum hoc Generalem rogans, daret operam ne potatores, ſed honeſtos & probos viros ibi relinqueret, quod Generalis ſe facturum recepit. Donabat ergo Generalem, quemadmodum etiam Præfectum Selandicum & Rochum Petri, ſingulos *Criſe* ſiue gladio Indico ſingulo, petens vt ſui recordarentur, & ſi forte nauem aliquam *Pataniam* in mari ab hoſtibus periclitari viderent, ſuppetias ei ferrent. Quod cum Hollandi ſe facturos promiſiſſent, guſtatis qui eis appoſiti fuerant fructibus, reuerenter ei valedixerunt, & ad traditum ſibi domicilium ſeſe receperunt. *Hollandi Reginæ in Patani valedicunt.*

Venerat interea ad portum iſtum Iacobus Hemskirchius, quem Hollandi de commoditate loci illius & rebus aliis abunde informarunt, deductumque ad *Sabandarem* de meliori nota ei commendarunt. Cum vero ſeſe inuicem conuiuio pro more excepiſſent, & ſibi inuicem, quæ in itinere acciderant, expoſuiſſent, commemorauit inter alia Hemskirchius, ſe in naui quadam Luſitanica, quam in mari expugnauerat, literas inueniſſe, quibus perſcriptum fuiſſet, quomodo Don Paulus, nauis illius magnæ, qua in *Iapan* itur, Præfectus Hollandorum ad *Macao* Chinæ ciuitatem compræhenſorum quindecim laqueo ſuffocarit. Cęterum quod ad Quæſtorem & nauis Rectorem attinet, eos *Goam* delatos eſſe, iam ante cognouerant. Quare etſi antea in ea fuerant ſententia, ſocios ſuos ad *Macao* ciuitatem à Chinenſibus ipſis captos & abductos eſſe, ſatis iam intellexerunt, id à Luſitanis factum fuiſſe, quamuis non ſine Chinenſium conſenſu, cum Luſitani poteſtatem ibi nullam habeant. Certum quidem eſt, Luſitanos apud omnes per Indiam Reges & populos id agere, vt in odium Hollandi adducantur, & vbique opprimantur; *Hemskirchius Admiralis Patanę aduenit.*

fuudens, facit, vt suum etiamnum locum inueniant, & Lusitani tandem pro illis habeantur, quos Hollandos esse, per calumniam affirmarunt.

Cum igitur Hemskirchio valedixissent, & sese inuicem salutassent, tādem vt 23. Augusti tertius nempe post Hemskirchii aduentū dies illuxit, soluens inde Generalis iter iterum ingressus est, relicto in ciuitate *Patani* iuuene quodam *Daniele Leccio* Roterodamensi, qui ex naui Magellanica, quæ ad *Ternatem* periit, ad Generalem hunc in patriam tandem reuersurus, peruenerat. Huic adiunxerant *Petrum VVallisium*, prædicti Rochi Petri fratrem, linguæ Patanicæ non ignarum, & sex iuuenes alios cum puero quodam, qui merces Hollandicas in domo mercatoria ad *Patanem* relictas præsenti pecunia venderent, & Hemskirchio in omnibus auxilio & adiumento essent; siquidem loci illius conditio & commerciorum ratio ipsis probe cognita & perspecta esset.

Ciuitatis Patani situs & descriptio

Hactenus historiam eorum, quæ ad *Patanem* acciderunt, descripsimus, iam de situ & commoditatibus huius ciuitatis, deque incolarum moribus pauca etiam annotanda sunt. Ciuitas igitur *Patane* iuxta mare Sianium ad latitudinem 7. longitudinem vero 149. graduum sita est medio inter *Malacam* & regnum *Sian* loco. Estque metropolis totius regni, quod ab hac ciuitate denominationem suam habet, quæ quidem omnium fere circumiacentium Insularum & regnorum ratio est. Adiacet autem littori maris, & ad dimidium fere miliare excurrit absque vllo portu, in quo naues stationem suam habere possint. Ille enim dimidio miliari ab vrbe distat, habetque profunditatem quatuor Orgyarum, mollioris fundi. Ædificia ex lignis & arundinibus constant perspicuo vndique & artificioso opere. Locus, vbi Regis palatium, & procerum habitatio est, sepimento ligneo magni roboris cinctus vndique & circumdatus est. *Musquita* vero vel templum primarium ex lateribus seu factitiis lapidibus, Chinensium opificum opera elegantissime extructum cernitur. Aula ipsa vel domus regia ab aliorum Nobilium & procerum domibus elegantiori paulo structura discreta est; cælato enim magis opere constat, & inauratis cuspidibus, globisque fastigiata cernitur.

Incolæ in Patani.

Incolæ huius loci colore sunt subcineritio, decora & conueniente mēbrorum constitutione, multum sibi tribuentes, & fastum aliquem vel incessu corporis præ se ferentes, maxime si alicuius honoris & dignitatis sint: illi enim, nisi multo comitatu ministrorum stipati domo nunquam egrediuntur, affabiles interim & conuersatione tam peregrinorum quam familiarium delectantes. Vestitu non admodum decente vtuntur, exercitia vero præter oblectationem cum mulieribus omnia ignorant. Quod si officii vel amicitiæ causa aliquis alter alterum conueniat, familiarissime excipiuntur, idque in loco peculiariter sub ingressum statim ædificiorum ad hunc vsum destinato, nam ad vxores suas neminem admittunt, & accedentibus sese *Betele* cum *Arecca* manducandum exhibent, in quem vsum patinas habent, ex auro, argento & ære constantes, vt pro dignitate aduenientium personarum quamcunque velint apponant.

Negotiationes incolarū in Patani.

Cum omnis tractatio hoc fructu perficiatur, Vulgus hominum in mari maxime versantur, nec enim ad exercitium aliud præterquam ad agriculturam adhibentur. Opificia autem & artes mechanicas prorsus ignorant, quæ vero ibi reperiuntur, vel ædificia vel alia, artificiose facta, Chinensiū diligentiæ adscribenda sunt, quorum tanta in *Patani* frequentia est, vt vel indigenas numero superent, suntque partim mercatores, partim opifices

& ne-

& negotia alia tractantes. Sunt autem admodum attenti ad rem, & vt lucrum aliquod percipiant, nullis neque laboribus neque sudoribus parcunt, sed & per iniustitiam sæpe furtaque & rapinas res & fortunas suas augere non dubitant, per fas nefasque pecuniam & opes ad se corradentes. Potissima ab hac natione exercentur commercia, apud quam & pecuniæ plurimum reperitur. Possident sane eorum aliqui integras regiones, & apud Regem valent plurimum.

Lingua eorum tam vulgaris ibi est, ac si patria lingua esset, suntque tres potissimum linguæ apud eos in vsu, nempe Malaica, quæ ipsis vernacula est, Sianica & Chinesia, quæ linguæ adeo ab inuicem discretæ sunt, vt nulla quicquam cum altera commune, maxime quoad scriptionem, habeat. *Linguarum & scriptu-rarum diuersitas.*

Malaci enim siue Patanii in scribendo Iudæorum & Arabum ductum à dextra versus sinistram sequuntur, Siani Europæorum more & latinis fere characteribus scribunt, Chinesii vero à dextra versus sinistram progrediuntur, sed ita vt lineæ subinde deprimantur atque descendant, quod mirum quidem est, cum regiones hæ vicinæ sint, & tam exiguo à se inuicem interuallo distent.

Sed & quod ad religionem attinet, ingens inter nationes hasce vicinas discrepantia reperitur. Chinesii enim & Siani omnes gentiles & Ethnici sunt, idola quidem omnes colentes, sed non eodem tamen sensu modoq; in varias enim sectas discernuntur. Templa sua in vrbe habent multis idolis aureis conspicua, quibus honorem & sacrificia vario modo præstant. Nam & sacrificulorum ingens ipsis, maxime vero Sianis, numerus est, qui vestitu flaui coloris vtuntur. Chinesii multos præ cæteris iuuenes habent vaticinantes, idque adhibitis multis & variis cæremoniis, vbi omnes certo quodam ab idolis interuallo in terram consident, & nutus gestusque vaticinantis iuuenis obseruant, qui passis crinibus, quos fœminarum instar prolixos admodum fouent gestantque, coram idolo prostratus in terra iacet. Canunt astantes interea & variis instrumentis perstrepunt, donec erigens sese à terra iuuenis in pedes iterum consurgat. Is deinde tanquam à Dæmone obsessus, horrendo vultu hinc inde discurrit, arreptoque euaginato gladio seipsum, quasi & astantes omnes interfecturus varie tumultuatur. Hoc facto prostratus in terram populus, iuuenem vti, quæ voluntas Diuorum sit, edisserat, precantur, qui tandem, vt debacchatus satis est, satisque turbarum, quasi mente captus dedit, mendacia varia astantibus obtrudit, & impertit, quæ pro diuinis oraculis ab ipsis habentur & acceptantur. Quo tempore Hollandi in hac ciuitate essent, vaticinans quidam iuuenis suos monebat, vti inde discederent, & futuro incendio sese quamprimum eriperent, qui protinus in agros sese & campos proripuerunt, licet incẽdium nullum, quod lædere eos potuisset, secutum sit. Equidem idololatricas istorum populorum superstitiones & vanitates enumerare prolixum nimis foret, nec tamen Hollandis etiam veram harum sectarum rationem explorare & cognoscere possibile fuit, quod peregrinarum linguarum gnari per omnia non essent. Quod autem ad Patanios ipsos attinet, hi impietatem Mahometicam sectantur, & vxores multas, quæ Mahometanorum passim consuetudo est, ducunt. *Religionis in Patani discrepantia & varietas.*

Adulterium apud hosce populos capitale est, maxime vero inter Nobiles & proceres regni, & executio fit à patre eius, qui peccauit, si is adhuc in viuis sit; sin minus, coguntur illud propinquiores quique perficere. *Adulterium in Patani capitale.*

Exem-

Exemplum viderunt Hollandi in duabus primariis regni personis, quarum liberi adulterium commiserant. Nupserat mulier illa filio *Sabandri*, qui proditione vetulæ alicuius, adferentis ei pateras aliquot aureas, quarum in manducando *Betele* vsus est, in criminis illius cognitionem peruenerat. Delato igitur ad parentem vxoris crimine; illa vocata, vt crimen confessa est, conuocauit eius pater cognatos omnes, & flagitium filiæ eis aperuit, quibus cum valedixisset mulier, iniecto in collum eius fune, quam mortem ipsa sibi elegerat, pater eam suffocauit. In more enim habent, vt quo mortis genere affici velint, ipsi sibi eligant. Quod ad Nobilem illum attinet, qui cum prædicta muliere rem habuerat, is primo quidem se absconderat, sed protractus tamen tandem, & ad patrem suum primarium eius loci virum delatus fuit, qui pugione in pectus adacto, (quod & ipsum supplicii genus sibi elegerat, denominato loco, in quo lethale vulnus acciperet) supplicium de eo sumere coactus est.

De scortatione & lasciuia populorũ in Patani.

Hæc pœna in adulteros constituta, licet grauis admodum sit, flagitio tamen hoc nihil in ciuitate illa frequentius est, idque propter propudiosam mulierum libidinem & lasciuiam maximam. Quod autem ad homines matrimonio solutos & liberos attinet, illi magna libertate fruuntur, nulla enim in delinquentes eos pœna constituta est, quinimo si quis liber cum libera rem habeat, flagitium illud nullum putatur. Moris apud Patanios est, vt si quando peregrini aliqui commercia sua exercendi gratia adueniant, interrogentur statim nunquid nõ mulieris alicuius ministerio opus habeant, sed & iuuenculæ mulieres puellæq; plurimæ operam suam peregrinis offerunt, licetque cuilibet eligere quamcunque velit, conuentione cum ea in menses singulos facta, vt quid expectandum sibi precii sit, perspectum habeant. Cum enim de precio constat, illa domum eius ingreditur, & interdiu quidem ancillæ, noctu vero vxoris munere fungitur. Verum enimuero qui eiusmodi sibi famulam constituit, aliarum consortio abstinere cogitur, in difficultatibus sese implicare maximis velit. Similiter vero & mulier ista aliorum vitare amicitiam & familiaritatem cogitur, vt ita coniugum instar viuant, idque quamdiu peregrinus in illis locis commoratur.

Cum autem peracta negotiatione inde iterum discedendum est, promissam mulieri mercedem soluit, & bona cum gratia eam à se dimittit, quæ de alio sibi viro postmodum libere prospicere potest. Quod si quis vna muliere contentus esse nolit, occasionem explendæ libidinis passim inuenire potest. Nobiles enim ancillas plurimas ad hoc constitutas habent, vt lucrum aliquod inde percipiant, sed vulgaris illa scortatio ab incolis contemptui habetur & fere negligitur, cum vxores habere quotcunque nutrire possunt omnibus permissum sit, atque ita explere libidinem suam domi suæ satis possint.

Viri qua ratione libidini resistant.

Habitant in vrbe hac Chinesii quidam mercatores, vxores liberosque tam ibi, quam alibi habentes, vt ita quocunque tandem deueniant, domi quasi suæ versari videantur. Siani similiter vxores plures habent, suntque lasciuiæ libidinique supra modum dediti, gestant in virili virga duos vel tres globulos intra carnem & cutem insertos, qui ex auro vel argento constantes tantæ magnitudinis sunt, vt pilam sæpe lusoriam minorem adæquent, quod tametsi incredibile videatur, Hollandis tamen non semel visum est. Vtuntur autem illis tantum gentiles, iique tam plebei quam in dignitate aliqua constituti, vt libidini & lasciuiæ suæ aliquo modo resistere possint.

poſſint. Mahometani vero globulos illos tanquam naturæ repugnantes reſpuunt.

Regnum autem hoc *Patani* hodie à muliere adminiſtratur, quæ Rege marito ſuo defuncto, Regina permanſit, & iam quatuordecim vel quindecim annos regno huic ſola præfuit, & cum Conſiliariis ſuis, qui *Mentary* vocantur, res omnes ita adminiſtrauit, vt quod conquerantur ſubditi non habeant, cum præſertim quæ ad victum & ſuſtentationem pertinent minoris in regno iſto hoc quidem tempore væneant, quam temporibus defuncti Regis factum. *De Regina regnum Patani hodie adminiſtrante.*

Regina autem fere annorum quinquaginta putatur, & ſemper ſeſe domi ſuæ, nempe in palatio ſiue gynæceo, quod frequens admodum & copioſum habet, continet. Sunt in gynæceo iſto plurimæ, quibus nunquam quidem matrimonium contrahere, ſed amori tamen, quoties occaſio fert, operam dare licet, quædam vero matrimonium, impetrata tamen prius à Regina venia, contrahere poſſunt.

Raro autem admodum Regina, nec facile, niſi oblectandi animi gratia expatiari conſtituat, conſpiciendam ſeſe ſubditis præbet, quod quidem ſemel atque iterum dum Hollandi ibi morarentur, factum eſt. Inuitabantur autem & ipſi, vt eam comitarentur, quæ cum ingenti procerum Nobiliumque ferme quatuor millium comitatu aula ſua egreſſa eſt, ducens ſecum Elephantos centum & quinquaginta, partim ad bellum armatos, partim arma defuncti Regis mariti ſui, & maximam gynæcei Regii partem geſtantes. Ipſa quidem Regina Elephanto pulcherrime ornata inſidebat, cumque ad deſtinatum oblectationis locum veniſſet, vocatos ad ſe Hollandos, loco paululum à ſe remoto, conſidere & oppoſito cibo potuque ſe recreare iuſſit. Qui paulo poſt cum voluntati Reginæ ſatisfeciſſent, ea ſalutata ad diuerſorium ſuum reuerſi ſunt. Accidit item vt aduerſo flumine, cum multis nauigiis, ad locum quendam profectura Hollandos itidem inuitaret rogaretque, vti honoris ergo cum ſcaphis ſuis ſibi adeſſe vellent. *Regina in Patani oblectandi animi gratia expatiatur.*

Cumque ad locum, vbi pernoctare decreuerat, perueniſſent, ea cum triremi ſua pulcherrime extructa ad Hollandos conuerſa, Generalem quando inde ſoluere iterum decreuiſſet, rogauit, addita admonitione, vt ſi quando iterum in Indiam velificationem facturi eſſent, ad *Patanem* applicare nunquam intermitterent, certi omnino, omnem ibi beneuolentiam ſibi declaratum iri. Excuſabat præterea ſe, quod non ſingulis diebus Hollandos conuiuio excepiſſet, dicens id ſuam perſonam, tanquam mulierem, non decuiſſe.

Cum igitur Hollandi gratias Reginæ pro ſingulari hoc erga ſe affectu & beneuolentia egiſſent, & vt ſibi ad vrbem redire liceret eam rogaſſent, Regina facerent quod vellent, reſpondit, oblatoque ipſis cibo & potu eos à ſe honorifice dimiſit. Sequenti autem die Regina continuato itinere vlterius progreſſa eſt, & dies viginti antequam reuerteretur, traduxit.

Sed hæc hactenus de moribus effœminatæ huius gentis, vt & de Regina horum populorum *Pratia* dicta ſufficiant. Quod vero ad fertilitatem Regionis attinet, illa quidem omnibus, quæ ad victum pertinent, abundat. Aerem commodum & ſalutarem habet, tametſi ad Æquinoctialem lineam accedat propius, & inde feruori Solis nimio ſubiecta ſit. Notandum autem eſt, octo fere continuis menſibus, à Februario nempe ad fi- *De fertilitate terræ in Patani.*

nem Octobris vſque certam ibi ventorum rationem haberi, ita vt ſub meridiem ex mari, ſub noctem vero ex continente progrediantur. Reliquis menſibus, Nouembri nempe, Decembri & Ianuario hyemem habent, pluuias absque vlla intermiſſione cum boreali vento experientes, ita vt nemo in mari eo tempore verſari poſſit, vſque ad Februarium, quo tempore venti iterum in ortum recurrentes pluuias cohibent, & æſtatem maturandis fructibus conuenientem, reducunt. Terram bubalorum & boum opera aratam Oryza conſerunt, quæ ſiliginis & tritici noſtratis inſtar copioſe admodum illis in locis prouenit. Singulis autem per annum menſibus fructus recentes alios quidem aliis meliores & iucundiores habent.

De animalibus omnis generis in Patani.

Quod vero cibos quotidianos, vtpote carnes, piſces & alios attinet, eorum defectus ibi nullus eſt. Boues enim & tauri bubalique & capri magna copia reperiuntur. Gallinis adeo abundant, vt licet multa millia alio transferantur, diminutio tamen earum nulla appareat. Anſeres & anates tam fœcundæ ſunt, vt bis in die oua pariant. Feris animalibus ſyluæ paſſim omnes repletæ ſunt, nec deſunt ibi volucres, inter quas turtures quidem pennis ſunt tam pulchris, vt vel pſittacos nonnullos ſuperent. Cauſa autem abundantiæ ferarum & volucrum incolarum in capiendis illis negligentia eſt, pernicioſiſſimæ ferarum omnium tigres ſunt, itemque ſimiæ & cercopitheci, quorum illi pecoribus, hi vero frugibus inſidiantur.

Elephantos capiendi ratio noua in Patani.

Elephanti ſylueſtres ſequenti ratione capiuntur. Elephanto inſidentes aliqui in ſyluam feruntur, vbi cum aliquem animaduertunt, in certamen eum prouocant.

Congreſſi igitur Elephanti, dentibus ſe inuicem appræhendunt, & in terram proſternere conantur. Dum vero ita exacerbati ſibi inuicem reſiſtunt, adſunt à tergo aliqui poſteriores eius pedes fune conſtringentes, quod quidem non vſque adeo difficile eſt, Elephanto eum dentibus ita continente, vt pedes mouere non poſſit. Hoc igitur modo ligatum fame domare ſolent, ſi viuum eum ex ſylua producere expetant. Quod ſi eum interficere eſt animus, facili id negotio in actum producere poſſunt, quod quidem ſæpe etiam fieri ſolet, propter dentes tantum, qui hoc loco in magno precio exiſtunt, & à Chinenſibus magno numero coempti auehuntur.

Piſces in Patani.

Quod ad piſces attinet, copioſi ibi & varii ſunt, ſed à noſtris tam forma & colore, quam ſapore diſcrepantes. Cancri, teſtudines & oſtreæ varii generis, tanta ſeſe copia offerunt, vt quotidianus fere vulgo cibus exiſtant. Vt autem vno verbo dicam, nihil ibi, quod ad vitæ ſuſtentationem pertinet, deſideratur. Sed & commercia in ciuitate iſta varia exercentur.

Negotiationes & commoditates variæ.

Ex *Malaca* enim & *Bengala* afferuntur veſtimenta & linteamina varia. Iauani lignum Santali afferunt, ex *Borneo* afferuntur camphora, mancipia, cera & lapis Bezoar. Ex *Sian* acquirunt aurum, oryzam, ſal & plumbum. Ex *Champa* ſiue *Camboia* adducuntur mancipia, Goſſypium, & precioſum lignum *Calambes* ſiue *Aloes*, quo melius quidem nullibi reperitur. Chinenſes quotannis cum variis eo proficiſcuntur mercibus, afferunt enim ſericum album & flauum, itemque holoſericum villoſum, Damaſcenum, &c. itemque vaſa Porcellina, ferrum, cuprum, & id genus alia. Ex *Iappania* quoque quotannis aduenientes, gladios Iapponicos, cuprum & alia afferunt. Sed & *Patanij* ipſimet ad loca varia profecti, varias merces hinc inde coemptas

coemptas adducunt, vtpote ex *Banda* & *Amboyna*, nuces myristicas, maces, caryophylla, &c. & *Timor* lignum Santali, ex *Tamby* & *Andragni* piper, quod etiam ex *Champor*, *Ihor*, *Phaan*, *Mordyllion* & *Ligor*, quæ loca fere intra 130. miliaria tractus istius sita sunt, afferre haud raro cernuntur. Ad omnia enim loca vicina excurrunt *Patanij*, excepta solum *China*, quo peregrinis quidem commeare non licet.

Cæterum cum quales merces, & à quibus *Patanem* transferantur, dictum sit, necesse est, vt à quibus singulæ inde iterum auferantur, paucis etiam exponamus. Incolæ igitur in *Ihor*, & *Phaan*, oryzam inde & sal, boues item & gallinas & cibos alios: Malacenses lapidem Bezoar: Incolæ in *Borneo*, ferrum, chalybem & cuprum; Siani omnis generis vestes & mediocre piper: Chinesii piper optimum, camphoram, flauum & album Santalum, coria, dentes Elephantinos, cornua bubala, & id genus alia: Iapanii vero pelles ceruinas, plumbum & sericum inde allatum, ciuitatem hanc frequentant. *Quales merces à qualib. populis ex Patani auferantur.*

Iam quod quæritur, an locus hic Hollandis etiam conueniat? Sciendum est commodiorem negotiationibus illorum locum nullum vel toto Oriente reperiri, dummodo merces Hollandicæ ibi acceptæ essent, sed illæ à nemine, præterquam à Sianis expetuntur, qui eas exigua quantitate redimunt, vnde futurum est, vt commercia, vilescente vndique magis magisque argento, paulatim intereant & extinguantur, quæ dummodo argentum plus expeteretur, magis magisque crescere hoc loco, & cum Chinensibus exerceri commodius, quam in ipsa China possent. Nam licet Hollandis permitteretur tandem Chinam cum mercibus suis excurrere; Portorium tamen & vectigal ipsis tantum soluendum ibi erit, vt longe commodius negotiationem hoc in loco, vbi ab oneribus istis liberi incolæ sunt, fieri posse re ipsa depræhensuri sint. Præterea alii etiã hac occasione adducerentur, vt plures ad hunc locum merces comportarent; nam in *Sian* crescit *Indigo* tanta copia, vt naues integras eo onerare possis, estq; in exiguo precio, quamuis illud præparare nondum cognitum omnino & perspectum habeant. Præterea ex *Borneo* & *Pegu* plures gemmæ ad ciuitatem hanc afferrentur, & futurum esset, vt plusquam octingenta piperis onera quotannis ibi expenderentur, non quod tanta copia ibi crescat, sed quod futurum sit, vt ex aliis locis eo transferatur copiosius, & incolæ etiam ad culturam eius maiorem facile animum adiiciant. *Patane an pro Hollandis conueniens statio sit.*

Sed hæc hactenus de ciuitate & regno *Patani*. Postquam autem inde Hollandi iterum soluissent, longa admodum & tædiosa sese ipsis nauigatio aperuit. Cum enim & venti & fluctus maris ipsis omnes contrarii essent, octo fere septimanas confecerunt antequam *Bantamum* assequi possent, quo tempore sola Oryza contenti esse cogebantur, vt paululum panis, quod adhuc in nauibus supererat, conseruarent, donec ex *Bantamo* digrederentur. Ad Bantamum autem 20. dies conquirendis cibariis quibusdam traduxerunt, quamuis præter induratos pisces parum inuenirent. Tandem igitur, licet cibariorum parum haberet, inde soluere coacti sunt. Cum autem duos fere menses in mari fuissent, mirabilis eos & periculosus admodum morbus inuasit, vnde ingentem dolorem perpessi tandem non pauci interierunt. Originem hic morbus sumpsisse putabatur ex diuturno Oryzæ vsu, siquidem ob defectum panis iam per sedecim menses nihil fere aliud comederant, qui cibus tamen naturæ eorum minime conueniens erat, quamuis perpetua illa aeris in diuersis climatibus mutatio & diutur- *Hollandi à Patani soluentes multis cum difficultatibus luctantur.*

Aſſequuntur Inſulam S. Helenæ.

na in mari oberratio, morbum procreare neceſſario ſoleant. Cum igitur tres vel quatuor menſes nauigando traduxiſſent, & inter tempeſtates varias tandem promontorium bonæ ſpei prætervecti eſſent, ad Sanctæ Helenæ Inſulam applicarunt. Vbi licet ægrotos ſuos in terram ſtatim exponerent; parum tamen remedii pro recuperanda valetudine inuenerunt. Fructus enim, quos Inſula illa ſuppeditare alias ſolet, maturitatem nondum aſſecuti fuerant, & neceſſe erat ignotas aliquot herbas in medicinam adhibere, quas ignorabant, ſatiſne ſalutares eſſent. Et ſane herbis illis Deus eam efficaciam largiebatur, vt illarum vſu morbus continuo diſpelleretur. Capras aprosque inuenire non poterant, quamuis Generalis ipſemet cum ſociis aliquot illis die noctéque diligentiſſime inſidiarentur. Subſiſtebant autem ibi dies 21. donec valetudinem ſuam aliquo modo recuperarent. Poſtquam autem iter iterum ingreſſi eſſent, plus ſupereſſe de morbo priſtino, quam putauerant, depræhenderunt, qui inualeſcens indies magis magisque, præſtantiſſimos quosque extinxit, fecitque, vt vix dies præteriret, quo non vnum atque alterum Storeis inuolutum eſcam obiicere piſcibus neceſſe haberent. Accedebat vero & hoc incommodi, quod *Azores* Inſulas prætervecti ob ventorum Septentrionalium iniuriam littus Hiſpanicum aſſequi non poſſent.

Quando domum reuerſi ſint.

Cum igitur per dies aliquot non ſine multis difficultatibus Orientem verſus contendiſſent, incipiebant tandem venti in occaſum ſeſe conuertere, quorum beneficio Angliam tandem magno ſuo commodo aſſecuti ſunt; ſi enim quatuordecim adhuc dies tempeſtas illa duraſſet, pereundum proculdubio omnibus fuiſſet. Poſtquam igitur *Portelandiæ* dies aliquot hærentes reparandis viribus operam dediſſent, tandem 15. Iulii die, Anni 1604. ad Rammekam Selandiæ caſtellum appulerunt.

FINIS HVIVS NAVIGATIONIS.

HISTO-



HISTORIÆ, A QVODAM HERMANNO DE BREE, NAVIS CVIVSDAM, QVAM SEPEM HOLLANDICAM VOCANT, MERCATORE, IN NAVIGATIONE versus Orientalem Indiam ab Anno 1602. vsque ad Annum 1604. quo vitam suam finiuit, suscepta, consignatæ, descriptio.

POSTQVAM per diuinam gratiam, mediantibus prouinciarum vnitarum ordinibus, quorum eo directa semper consilia sunt, vt subditos habeant quam fœlicissimos, & nullarum rerum inopia pressos, factũ est, vt consensus & confœderatio inter mercatores & patronos veteris nouæque societatis, in nauigationibus versus Indiam Orientalem suscipiendis, constitueretur, ne discordia & omnium malorum radice inuidia laborantibus erga se inuicem mercatoribus, nauigationes illæ paulatim, magna cum Hispanorum exultatione, & Hollandorum dedecore damnoque minuerentur, & vel prorsus tandem cessarent, eodem statim anno, qui fuit annus Christi 1602. coniuncta patronorum omnium, eorum nempe qui *Amstelrodami, Delfftæ, Selandiæ, Enchusii* & *Roterodami* habitant, opera, naues pro prima nauigatione quatuordecim cum vna celoce præparatæ & rebus necessariis omnibus instructæ sunt, vt suscepta in Orientalem Indiam nauigatione, Insulas *Molucas, Chinam* & loca alia peterent, dato eis omnibus Præfecto generali *VVibrando VVarvviccio,* & *Sebaldo de VVeert* Subpræfecto. Ex his quatuordecim nauibus, Amstelrodamii quidem tanquam primarii huius nauigationis autores & promotores, naues quidem sex instruxerunt atque adornarunt, quarum hæc erant nomina. Prima *Mauritius* Prætoria nomen à Principe Mauritio habens, onerum erat 400. & hac quidem prædictus *VVigebrandus VVarvviccius* generalis nauium omnium Præfectus vehebatur. Nauis altera *Hollandia* dicta onerum erat 350. Tertia *Nassouia* onerum erat 340. Quarta *Sol,* erat onerum 280. Quinta *Luna,* onerum erat 250. Sexta, *Stella,* onerum 180. His celocem addiderunt nomine *Psittacum,* onera 25. capientem. Socii Delfftenses nauem vnicam nomine *Concordiam,* onerum 120. instruxerunt. Selandii naues tres, vnam nempe 400. onerum, alteram vero nomine *Vlissingam,* onerum 250. & tertiam *Anserem* nomine, onera 140. capientem instruxerunt. Enchusii duas, nempe *Sepem Hollandicam* 220. onerum, & *Virginem Enchusiam,* 175. onerum præpararunt. Roterodamii vero itidem duas, *Erasmum* vnam, ab Erasmo doctissimo illo viro cognominatam, onerum 250. & *Roterodamum* alteram, ciuitatis nomine appellatam, onera 80. capientem instruxerunt.

Consensus Hollandorũ in nauigationibus Indicis factus.

Præfecti Generalis & Subpræfecti itemque nauium nomina.

Nauiũ Hollandicarum instructio. Quod ad instructionem classis huius attinet, tres quidem Selandicæ naues ad Insulam *Zeilon* & *Acinum* in *Sumatra* sitam ciuitatem; naues duæ *Mauritius* & *Luna* ad *Molucas* Insulas; *Nassouia* & *Erasmus* ad *Chinæ* regnum; tres naues, nempe *Hollandia*, *Sepes Hollandica* & *Stella* ad *Achin*: *Sol* vero, *Virgo Enchusia*, *Concordia* & *Roterodamus* ad *Bantamum* in *Iaua* maiore sitam ciuitatem, destinatæ sunt. Cæterum in naui illa, quam *Sepem Hollandicam* vocatam diximus, constitutus erat mercator supremus *Hermannus de Bre*—, vir iuuenis, pius & honestus, qui per vniuersam vitam suam, quam in hac quidem nauigatione finiuit, omnibus humanũ, benignum & affabilem præbuit, & præsentem hanc historiam consignauit, quam mihi à patronis & Procuratoribus nauigationis huius transmissam superiori nauigationi, tanquam eius quasi continuationem aliquam, subiicere & lectori communicare volui, descriptione ventorum & aliis ad historiam proprie non pertinentibus omnibus præcisis & omissis.

Omnes autem naues, exceptis tribus Selandicis, quæ tribus reliquas mensibus præuerterant, ex portu Texelio soluerunt 17. Iunii Anno 1602. quæ dies quidem Lunæ fuit, veneruntque 19. eiusdem mensis ad arenarios inter Angliam & Galliam tumulos, vbi subsistentes altera alteram expectarunt, donec vndecim naues coniunctæ Celocem etiam secum haberet, in quibus quidem mille plus minus viri numerabantur. Facto igitur nauigationis initio 21. Iunii omnes simul sublatis anchoris abierunt, 24. Pleimonthum assequentes. Dum autem ibi ab anchoris hęrerent, venerunt ad eos naues quædam ex classe Reginæ Anglicæ ducentes secũ nauem quandam Lusitanicam tantæ capacitatis, vt onerum 600. putaretur. Hanc ex *Goa* cum multis aromatibus oneratam infra *Zisembre* Portugalliæ oppidũ compræhenderant, & secum in patriam perducturi erant.

Perueniunt ad Insulam Ferro. Ex Pleimontho deinde 10. Iulii iterum soluentes Hollandi, 17. die promontorium aliquod vulgo *Cabo Finis terræ* dictum prætervecti, 24. deinde sub exortum Solis, Insulam *Madera* conspexerunt. Circa meridiem habebant eleuationem 32. graduum, progressique occasum versus 26. ad *Palmam*, & sequenti die ad *Ferro* Insulas peruenerunt. Reperitur in hac Insula peculiare aliquid, estq; arbor Hispanis *Sancta*, incolis *Garoe*, veteribus vero Historicis *Til* vocata. *Arbor in Ferro insula mirabilis.* Hæc aliquot iã secula ibi existẽs viridis semper conseruata est, tantũ ex foliis aquæ stillans & suppeditans, vt omnibus & incolis & animalibus per totam Insulam habitantibus sufficiens esse possit, quo ipso natura siccitati huius Insulæ nimiæ consulere & subuenire voluit, cum aquam ea aliam nullam habeat. Quamuis autem de hac arbore multa hinc inde annotata leguntur, non possum tamen, quin paucula hic addam ex relatione Ferdinandi Suares de Figueroa, qui Episcopus harum Insularũ fuit, & oculis suis se arborem hanc aliquoties vidisse testatur. Reperitur arbor illa in plaga Septentrionali in vertice altissimi montis, & leucas duas fere à littore maris distat. Nulla autem ei similis alia ibi reperitur, tametsi frutetis locus ille passim abundet. Circumferentia eius spithamarum duodecim est, habetq; in diametro quatuor, & in longitudine à terra nimirum ad verticem vsque 40. spithamas. In corona vel circuitu ramorum & foliorum simul centum & viginti pedes complectitur, ramos habens longe lateque dispersos & foliis admodum repletos, qui in terram fere propendent.

Vergunt autem maxima parte in Septentrionem & instar lauri semper virescunt. Fructum habet in cortice glandis instar pendentem cum nu-

cleo

cleo suauissimi & valde aromatici gustus. Accerscit autem ei frutex quidam alius in stipite ascendens, & maximam frondium partem compræhendens. Terra iuxta arborem humida semper & paludosa est, vt prominentes semper radices cernere possis. Posita sunt autem sub arbore ad partem Septentrionalem vasa duo quadratæ formæ lapidea, viginti pedes longa lataque, & 16. palmos profunda, quibus aqua ad quotidianum vsum excipitur & asseruatur.

Distincta autem sunt ab inuicem ponte lapideo, eo fine ibi excitato, ne quando vas alterum purgatur, aqua in vase altero turbetur & coinquinetur. Supra arborem hanc nebula semper instar fumi alicuius densissima apparet, ex cuius in folia sese submittentis resolutione tantum aquæ in vasa illa destillat, vt vel viginti dolia vno die inde compleri & alio transferri possint. Quod si aliquando in Augusto potissimum accidat, vt nubes illa cesset, ne defectum aquæ homines sentiant, mirabiliter Deus halitum & vaporem ex mari aliquem excitare & producere solet, qui supra arborem istam conglomeratus resoluitur, & aquam recentem suppeditat, qua homines pecudesque reficiantur & conseruentur.

Sed hæc hactenus de Insula Ferro & arbore in ea aquam mirabiliter hominibus suppeditante. Hollandi autem 29. Iulii Tropicum Cancri præteruecti, Solem primo Augusti die, verticalem siue in puncto Zenith, rectà supra caput suum constitutum habebant. 3. Augusti videbant Insulam *Bona vita* dictam, 23. ad terram capitis de palma appropinquauerant. Depræhendebant autem 5. Septembr. die ex altitudine Solis, se quatuor non amplius leucas ab Æquinoctiali abesse, itaque statim post meridiem Sancti Thomæ Insulam versus austrum cõspiciebant, quæ quidem sub Æquinoctiali sita est. Sequenti die cum Insulam illam superare non possent, cursum suum versus Septentrionem direxerunt, portu & castello Lusitanorum, versum occasum constitutis. Conuocatis autem ad nauem Prætoriam nautis omnibus decretum est, vt si portum assequi possibile videretur, cursum suum audacter eo dirigerent, visum an cibariorum aliquid ibi accipere possent. Verum cum Lusitani tormentorum aliquot displosionem statim facerent, & ventus ipsis fauere videretur, cursum suum versus continentem Africæ direxerunt, confidentes 9. Septembris die ad profunditatem decem Orgyarum, paulo supra Insulam *Corisco*, quæ non procul à continente Africæ sita vix dimidio gradu à linea Æquinoctiali abest, tota vero desolata est, & præter recentem aquam nihil suppeditat. Progressi inde 13. ad fauces *Rio de Gabom*, locum nempe tribus paulo amplius gradibus ab Æquinoctiali distantem, applicarunt. Cum autem venti in hoc littore per totum annum australes sint, singulari ibi prudentia & dexteritate opus est, vt in mari cursus contineatur.

Continuatio itineris Hollandorum.

Lineam Æquinoctialem 16. Septemb. præteruecti ad *Capo lopo Gonsalues* non procul à terra in profunditate 16. Orgyarum consederunt. Nauis autem *Luna*, cum tardius aliquanto progrederetur, 24. demum Septembris naues reliquas assecuta est. Promontorium hoc seu *Capo Lopo Gonsalues*, 40. tantum scrupulis ab Æquinoctiali austrum versus abest. Sepultus est autem ibi nauarchus nauis illius, cui *Erasmo* nomen est, qui quidem primus in hoc itinere præcedenti nocte diem suum obierat. Sed ex Prætoria naui 20. plus minus ægroti in terram traducti sunt, vt amissas vires iterum recuperarent. Interea nauibus purgandis, & recenti aquæ ad eas conuehendis operam dederunt, cum fontem aliquem non procul à loco isto distan-

Perueniunt ad Capo Lopo Gonsalues

tem

tem inuenerant. Sed & scapham suam maiorem Classiariis aliquot armatam & oppidum seu vicum quendam, cui *Montongo* nomen erat, ablegarunt, sperantes se cibariorum & fructuum aliquid ibi accepturos, quo fine ferramenta quædam permutanda secum acceperant. Verum cum venissent eo, Æthiopes quidem ferrum illud nihili faciebant, quod ante hæc tempora in tanto apud illos precio fuerat, vt dentes Elephantinos libentissime cum eo permutarint.

Æthiops linguam Gallicam loquens

Reuersi igitur Hollandi præter *Bonanes* pauculos nihil attulerunt. Inciderant ibi in puerum aliquem, qui Regis sese filium esse dicebat. Loquebatur autem linguam Gallicam, & significabat Hollandis inimicitiam sibi cum populis in *Rio de Gabon* intercedere, quorum nō paucos nuper in prælio superatos trucidassent, veluti adhuc capita eorum monstrare poterat, iuxta Regis sui palatium & alibi passim per ciuitatem suspensa.

Cæterum iuxta *Capo* illud insignis est capiendorum piscium opportunitas. Itaque Hollandi ea vtentes tantum quotidie ceperunt piscium, quantum saturandis omnibus satis erat, sed & auium capiendorum non deerat ipsis occasio. Sublatis autem anchoris 28. Septembris die omnes à *Capo Lopo Gonsalues* iterum soluerunt, eo fine, vt *Annabonam* Insulam assequerentur, quæ duos plus minus gradus ab Æquinoctiali linea, à continente vero 60. vel circiter leucas abest. Sperabant enim malorum aureorum ibi copiam aliquam colligere, quæ magna ibi copia proueniunt, & contra scorbutum medicina præsentissima sunt.

Hollandi Annabonam insulam petunt.

Prædictam modo Insulam *Annabonam* 10. Octob. die in conspectum accipientes, cum vix septē leucas ab ea abesse se putarent, nitebantur sedulo vti eodem adhuc die eam assequerentur, sed non poterant portum eius in parte Septentrionali situm contingere. Circa vesperam autem nauta quidam armata scapha ad *Sepem Hollandicam* pertinente littus versus progressus est, cumque antequam illud contingeret nox facta esset, proiecta anchora diem expectandum putauit, quæ vt illuxit iterum, progressi aliquādiu, ad vicum quendam aliquot ædificiorum, vbi Gubernator quidam natione Lusitanus habitabat, peruenerunt. Hollandi visis tuguriis illis, vexillum album nauiculæ affixerunt, vt indicarent, venisse se vt amice cum hominibus illis loquerentur & commercia sua exercerent. Cæterum cum à littore nō abessent iam longius, incolæ obiecto raptim munimento sclopetis eos petere incipiebant.

Hollandi igitur cum iam vnum atque alterum ex suis vulneratis viderent, conuersis statim velis ad naues reuersi sunt, quæ simul omnes circa vesperam eius diei portum Insulæ ingressæ sunt. Sequenti statim die, qui 12. Octobris erat, viginti simul scaphas, in quibus quadringenti plus minus armati erant, ab occasu partim, partim ab ortu pagum illum petitum ablegarunt. Incolæ visis scaphis illis, vexillum statim Burgundicum explicarunt, & sclopetis suis semel atque iterum in Hollandos detonarunt. Verum cum nihil proficerent, eosque interea littus fere assecutos viderent, arrepta statim fuga ad montana sese contulerunt. Hollandi igitur nemine prohibente, pagum cum munimento occuparunt, cumque nihil omnino in tuguriis illis inuenirent, quod vniuersam suam substantiam ad montana secum incolæ abduxerant, nullo ordine hinc inde discurrentes, mala aurea & fructus alios inquisiuerunt. Quibus superuenientes Æthiopes, aliquos trucidarunt, aliquos lethaliter vulnerarunt. Vespera autem facta, ignem Hollandi tuguriis iniecerunt, centum & viginti viris, qui excubias

cubias ibi agerent in terra relictis. Cæterum Scapham etiam aliquam eodem die ad vallem quandam versus ortum mala quædam aurea, quorum ingens ibi prouentus erat, allatum, ablegarunt. Cumque vesperi reuerterentur, mala aurea, *Bonanas* & fructus alios attulerunt.

Sequenti die cum Scaphis pluribus ad vallem illam progressi sunt, cumq; ibi tuguria quædam viderent, illis igne accensis, cum Scaphas suas multis malis aureis onerassent, ad naues reuersi sunt. In reditu autem ab Æthiopibus obruti sunt, qui mercatorem præcipue aliquem multis vulneribus affecerunt. Sed & 14. Octobris die cum Scaphis suis aquam allatum profecti sunt, interea autem qui in terra relicti fuerant, sermonem cum Æthiopibus habuerant, qui eminus constituti pacem Hollandis offerentes, vti à terra discederent, & in nauibus sese continerent, rogarunt, promittentes simul se sues, gallinas & cibaria alia abunde ipsis suppeditaturos, si depositis armis cum Scaphis aliquot ad littus appellerent. Hollandi si fides dictis adhibenda esset, obsides sibi dari petierunt, at illi, nihil se in mandatis hac de re habere responderunt, sequenti die responsum melius sese à Gubernatore allaturos promittentes.

Sequenti die cum Æthiopes rursus aliquos de montibus cum vexillo pacem significante descendentes viderent, Hollandi etiam ipsi cum eiusmodi vexillo in occursum eis profecti sunt. Miserant autem ante se virum aliquem, qui omnium nomine cũ Hollandis loqueretur. Querebantur ergo Hollandi, quod cum non vt hostes, sed vt amici venissent, vt commercia sua cum eis exercerent, ipsi hostes sese declarassent, & in fugam tandem sese coniecissent. Ille vero respondebat, dolere Æthiopes hoc factum esse, verum cum Gubernatori subiecti essent, aliter sese facere non potuisse, siquidem Domino suo mos omnino gerendus fuerit. Promittebat porro siquidem discessuri à terra essent, daturum sese operam; vt rerum omnium pro voto participes fierent. Porro 16. Octobr. reuersi iterum de montibus cum vexillo pacis Æthiopes 19. Hollandos sibi obuiam euntes habuerunt. Accidit autem vt dum inuicem loquerentur, alii viginti sese illis coniungerent. Videntes igitur illos priores illi, deposito statim vexillo, ad arma conclamarunt, & coniectis in Hollandos missilibus tres eorum vulnerarunt. Hollandi igitur hoc videntes, sclopis eos aggressi in fugam facile conuerterunt, qui fugientes percussos secum abstulerunt, nec vnquam iterum conspiciendos sese prębuerunt. Cæterum Hollandi relictis in pago, qui excubias agerent, aquis malisq; aureis & fructibus aliis conuehendis operam dederunt. Cumq; Æthiopes amplius non redirent, sed interdum per insidias aliquos colligendis fructibus intentos opprimerent, decretum est, vt quinquaginta plus minus viri armis probe instructi, in montibus illos inquirerent. 18. igitur Octobr. quidam ex pago illo Ortum versus per montes excurrentes nihil præter tabernam quandam gossypio rudi, quale ab arboribus primum colligitur, repletam inuenerunt. Coniecto igitur in eam igne, gossypium omne deformarunt. Postero die cum aquam & poma aurea allatum ad vallem iterum profecti fuissent, reuersi circa vesperam, anum quandam Æthiopicam secum ad naues adduxerunt. Ex ea Generalis statum & conditionem Insulæ libenter didicisset, sed illa verbum facere nullum, siue studio, siue quod sermonis Lusitanici perita non esset, voluit. Illud tamen certis quibusdam indiciis cognoscere poterant, eam natione quidem ex *Angola* oriundam, conditione vero Lusitani cuiusdam mancipium siue seruam esse,

Hollandi ab Æthiopibus in Annabona oppressi.

Hollandi ab Insula Annabona iterum discedunt.

itaq; sequenti statim die in terram iterũ deposita & dimissa est. 20.Octob. 100.adhuc viri in terrã profecti, & in duo agmina diuisi eam perlustrarunt, quo quidẽ in itinere Dux alterius agminis ex mõtib.iaculo percussus diem suum obiit.Cũ igitur ꝓficere amplius nihil possent, coniecto in tuguria reliqua igne, terrã deseruerunt. Congregabantur a.circa Meridiem ad naues omnes, iter suũ die postero continuaturi.Erant quidam, qui deponendos esse in terram 300. vel 400. viros censebant, qui in sex vel plura diuisi agmina, Lusitanos & barbaros tota Insula perquirerent. Verũ cũ Insula illa altissimis montib.syluisq; densissimis formidabilis esset, vnde multũ incõmodi Hollandis inferri posset, omisso consilio isto sese ad abitum composuerunt, cũ præsertim 9.iam viros in Insula ista amisissent, & vero nauibus omnib.de aqua & fructib.recentib.satis prospectum esset. Insula hæc vno gradu & 50.scrupulis versus austrum ab Æquinoctiali sita est 50. fere leucas à continente Africæ distans, vltra duo miliaria non patet, montes v.habet multos tam ꝓceros vt nubes in illis requiescere videantur, vnde dies sine pluuia vix vllus ibi censetur. Valles a. elegantes admodũ habet, vbi *Bonanes, Patates, Annanes*, mala aurea, Tamarindi, nuces Indicæ, gossypium & alia crescunt. Non desunt incolis carnes, adsunt & aquę recentes, sed tempore noui & pleniluniorũ propter æstũ maris eas haurire difficile admodũ & periculosum est. Gubernatorẽ habet Lusitanũ quendam, qui cum trib. vel 4.albis hominib.ibi habitãt, reliqui v.omnes Æthiopes sunt, religionẽ Romanam, ad quã Lusitanorum opera conuersi sunt, profitentes. Cæterũ cum 21.Octob.die inde soluissent, copiosos breui tempore ægrotos in nauib.suis acceperunt, idq; propter abundantiã fructuum, quib.in Insula illa vsi fuerant. Cum a.venti paulatim crescerent, depręhenderunt 9.Nou.die ex Solis altitudine, se ad 13½. gradus, Austrũ versus ab Æquinoctiali digressos esse, viderunt, cũq; venti paulatim maiores fierent, factũ est, vt 13.Nou. die in ipso *Zeneth* versarentur, nempe in 18.Æquinoctialis gradu, fere 370. leucas supra scopulos, qui à littore Brasilico longe lateq; in mare excurrũt, & Lusitanis Indiam Orientalem petentib. non parum negotii facessere solent, ita vt cursum reflectere sæpe & in Portugalliam redire cogantur. Opera igitur danda est, ne vbi à Siclis Insulis discessum est, nimis ad Brasilicum littus appropinquantes in breuia & scopulos illos feramur, sed & vbi nimis multum te littori isti subtraxeris, fieri facile potest, vt in sinum *Guineæ* coniiciaris, vt ita nauigatio studium & attentionem hoc in loco maxime requirat. Mortui erãt hoc tẽpore in nauib.30.iam viri, quorũ 9.in Insula Arrabona sauciati occubuerãt, 20.morbis variis correpti diẽ suum obierãt. Vnus v.ex naui, cui Roterodamo nomẽ, in mare ꝓlapsus perierat. 17.Nou. superato Capricorni tropico, ventũ habebant inconstantẽ admodũ & varium vsq; ad 1. Dec.diem, quo eleuationẽ 33.cum dimidio graduũ assecuti erant, q̃ quidem eleuatio est *Capo de bona Esperansa*, ꝙ Orientem versus 200. leucarum itinere à se distare censebant. Itaq; Euro austrũ versus vsq; ad 18. Dec.progrediebantur, quo maxime eleuatã terram quandã viderunt, quã *Capo Falco* esse cognouerũt, ꝙ sex tantũmodo leucas Orientẽ versus à *Capo de bona Esperansa* abest. Mirabãtur igitur valde, se tam prope ad promontoriũ illud iam accessisse, à quo vel 80. leucas ẽtnum abesse putabant. Abstinebant a.magno studio à terra, & Austrũ versus ad noctẽ vsq; ꝓgressi, cũ ventus in Austrum recurreret, cursum in Orientem reflexerunt. Videbant autem magnam auium in aere, & piscium in mari ludentium multitudinem. Progressi igitur sequentibus diebus variis tempestatibus vsque ad 20. & 21.Ianuarii diem Anni 1603. vsi sunt: tunc enim tropicũ Capricorni iterum

Arrabonæ Insulæ descriptio.

Morbus in nauibus periculosus.

Mortuorum in nauibus numerus.

Caput Bonæ Spei.

rum assecuti, vario interdum, interdum & nullo vento ad 3. vsq; Martii vsi sunt, vbi circa Meridiem eleuationem 4. cum duab. tertiis graduum depræhenderunt. Circa vesperam Zephyrum nacti in Eurum contendebant, eleuatam *Somatræ* terram post mediam noctem conspicientes. Reiecti aūt ad vallum cogebantur velificationem iuxta littus tenere. Quarto Martii die in extrema sese terra Insulę *Somatra* versari depræhenderunt. Cumque alueus ibi magna vi in Septentrionem tendat, velificatio eorum, licet tranquillitas ingens esset, non parum inde promota est, ita vt 10. tandem Martii in portum ad *Achin* Ciuitatem deuenerint.

Perueniunt in portum ciuitatis Achin.

Naues duæ *Hollandia* nempe & *Stella* iam biduo ante sepem Hollandicam eo appulerant. Inueniebant a. ibi tres societatis naues, quę trib. fere mensib. ante harum discessum in Hollandia soluerant. Sed & duæ naues ad societatem *Moucheron* pertinentes ibi hærebant, quæ sub moderatione Georg. Spilbergii iam 22. Menses Hollandia abfuerant. Præterea 3. etiam vel 4. Turcica ibi reperiebant nauigia, quæ à littore *Negapatan* soluerant, & nauigium adhuc vnum Lusitanicum ad fauces fluuii cuiusdam subsistens. Tres illæ naues Selandicæ cibaria in sinu *Antongil* acceperant, & inde ad Ciuitatem *Matecalo* in Insula *Zeilon* sitā contenderant. Cum intellexissent, duas illas naues ex societate de *Moucheron* ibi ēt fuisse Subpræfectus *Seb. de VVeert* sex Elephantorū ministerio vsq;, itinere aliquot dierum, per 40. leucas ad Ciuitatem *Candy* profectus fuerat, Regē illū salutaturus, cui pleriq; Insulæ huius Regis alii subiecti sunt. A Rege hoc honorifice admodū exceptus fuerat, propterea q cognouerat ille, Hollandos quoq; Lusitanorum hostes ipse, idq; ex prædicti Spilbergii relatione, qui similiter apud Regem illum fuerat, & effigie *Mauritii* Principis eum donauerat, relictis simul etiam ibi sociis aliquot, qui in lingua Hollandica Regem erudirent, & linguā simul Regis ipsimet addiscerent. Cæterū iter hoc prædicti Seb. de Weert, alio tempore forsitan prolixius describetur. Fuit. n. vt breuiter illud percurramus, ita cōparatum. Anno 1603. die 28. Nou. cum ad Insulam *Zeilon* appulisset, vna cum 15. sociis in terram descendit, vbi honorifice exceptus, & 6. Elephātor. ministerio ad *Matecalo* Ciuitatē deductus fuit. Hinc cum sociis 6. continuato itinere leucas 40. in terram illam pgressus fuit, nempe ad Ciuitatē *Candy*, quæ potentissimi totius Insulæ Regis sedes habetur. In itinere 15. dies propter pluuias & tempestates continuas cōmoratus beneuolum vbiq; populum inuenit, qui multum ei sociisq; eius fauoris & beneuolentiæ passim exhibuerunt, ita vt nullos omnino sumptus facere necesse fuerit. Cū in medio itinere esset, 7. ei viri in occursum venerunt, quos Rex ablegauerat visum quales ad Insulam naues appulissent, quorum duo conuerso statim itinere ad Regē reuersi sunt, duo naues visum pgressi sunt, reliquis trib. cū Viceadmirali manentib. Rex accepto de eius aduentu nuncio, mittebat singulis horis quosdā, qui fructus & cibaria omnis generis ei exhiberent, sed & affinem suū cum centū virorum comitatu multis tympanis & instrumentis musicis aliis instructo in occursū misit, addiditq; lecticā suam, qua mancipiorū quorundam opera duorū dierū itinere ad vrbem deportaretur. Ad vrbem a. perueniens honorifice non solū acceptus, sed & introductus in eam est tanta pompa & triumpho, ac si Rex aliquis fuisset. Ciues & milites Regis omnes longo dimidii fere miliaris ordine, qua incessus patebat vtrinque dispositi erant, tantusq; à tormentorum displosione fragor extitit, vt alter alterum exaudire commode non posset, tympanis simul tubisq; & instrumentis musicis aliis horrendum resonantibus.

Compendiosa itineris Sebaldi de VVeert ad Regem in Candy descriptio.

Sebaldus de VVeert quomodo à Rege in Candy acceptus sit.

Quamprimum autem diuerſorium ingreſſus fuiſſet, venit ei à Rege nuncius, qui ad aulam eum vocaret, quo quidem cum ingenti tubarum & tympanorum clangore inter frequentem admodum populum profectus eſt. Cum igitur in aulam Regis veniſſet, inuenit ibi Proceres & Conſiliarios Regis, vidit & effigiem Mauritii Principis, ante quam tapetum elegantiſſimum explicatum erat pro honorariis & muneribus, quæ allaturus ſecum eſſet, deponendis. Rex ipſemet ſtabat in peculiari aliquo conclaui, liberis ſuis, nempe filio & ſex annorum filia ante pedes conſtitutis. Cum igitur Viceadmiralis in genua procidens honorem Regi exhibuiſſet, alleuatum à terra Rex per Interpretem interrogauit, cuias eſſet, & quam aduentus ſui cauſam haberet? qui reſpondit venire ſe ex regione quam Flandriam Luſitani nominent, & ab Ordinib. Hollandiæ, Principeque eo, cuius effigies ibi conſtituta ſit, gubernetur. Rex & proceres alii hoc audientes ingenti afficiebantur lætitia, multis eam argumentis & ſignis declarantes, nec enim quicquam dubitandū amplius de veritate ſermonis, quam Spilbergius locutus fuerat, cenſebant, ſiquidem effigies illa tam cito à præſente hoſpite agnita fuiſſet.

Colloquia Sebaldi de VVeert cum Rege in Candy.

Cum igitur Sebaldus intelligeret, effigiem illam nullam aliam ob cauſam ibi expoſitam conſtitutamque eſſe, quam vt animaduerterent, an eam agniturus eſſet, ſumpta inde occaſione commemorabat, quomodo Ordines & Mauritii Principis pater Guilielmus primus Vraniæ Princeps, Comes Naſſouiæ, &c. iam viginti & amplius annos bellum cum Luſitanorum Rege geſſiſſet, & etiamnum per filium ſuum Mauritium gereret. De nauibus autem ſuis nullam aliam ob cauſam ad loca illa veniſſe eas affirmabat, quam vt commercia & negotiationes cum populis illis exercerent. Rex Luſitani ſermonis peritiſſimus ad hæc reſpondens multa de capitali odio, quod cum Luſitanis ſibi intercederet, commemorabat, nullum eius loci Regem eſſe affirmans, quem ipſi maiori & inuidia premerent & odio proſequerentur. Rogabat igitur Viceadmiralem daret ſibi hanc operam, & in mari tranſitum Luſitanis prohiberet, ne ex Goa tranſire ad hæc loca poſſent. Hoc enim facto conſtituiſſe ſe dicebat Luſitanos oppugnare, & caſtello ſuo prorſus eiicere. Reſpondebat autem Viceadmiralis, intolerabiles illos ſumptus, quos facere in tam longo itinere neceſſe eſſet, id quidem non permittere, niſi forte recompenſationem aliquam pro præſtito ſibi auxilio Rex Hollandis facere promitteret, cui Rex daturum ſeſe operam reſpondit, vt nihil in ſe deſideraturus facile eſſet. Cæterum cum iam Regi valedicens ad diuerſorium redire Viceadmiralis vellet, accerſitum ad ſe iterum Rex interrogabat, qui tam audax eſſet, vt tam longo itinere ad Regis aulam proficiſci potuerit, cum tamen non modo nullos ſponſores & obſides, ſed nec de voluntate Regis cognitum quicquam habuiſſet? Reſpondit Viceadmiralis, quod quandoquidem cognitum & perſpectum habuerit, Regem æque ac Principem ſuum Luſitanis inimicum eſſe, dubitare noluerit, quin gratus & acceptus incolis futurus eſſet, quod reſponſum riſu maximo ab aſtantibus eſt exceptum. Quærebat autem Rex, nullamne aliam cauſam habuerit? qui reſpondit, beneuolam illam Regis erga Spilbergium affectionem & beneficia ſibi ſuisq; à Rege in *Matecalo* exhibita, cauſam ſibi ad hoc iter ſuſcipiendum dediſſe. Inſtabat autem Rex, quærens, numquid tam facile crederet, ſiquidem cum Spilbergio locutus ipſemet non fuiſſet? Reſpondit Viceadmiralis, ſe id facile potuiſſe, cum conſentire paſſim variorum hominum hac de re ſermones audiſſet, & vero fieri

to fieri non poſſit, vt non diuerſimode de re aliqua loquerentur homines, cuius dubia veritas eſſet.

Finito hoc colloquio Viceadmiralis ad diuerſorium ſuum deductus eſt, vbi ei ſtatim conditamenta varia & ollæ fructibus variis repletæ tanta frequentia oblatæ ſunt, vt locus eas omnes capere vix potuerit. Sed & aulæ regiæ Magiſter cum quatuor famulis totidemque ancillis eum acceſſit, vt ei miniſtraret, mittebanturque ei quinquaginta Larini, qui ſunt nummi argentei oblongi, vt ſi quid vſus poſtularet, pecuniam paratam in promptu haberet. Cæterum proceres regni vnus poſt alium eius ſalutandi & excipiendi cauſa accedebant, cumque inſtaret iam veſpera, venit ad eum à Rege nuncius, qui ei ſignificaret, cupere Regem ſecreto aliquid cum eo conferre. Cum igitur ad eum veniſſet, inuenit eum ſolum in aula obambulantem, ita vt vix tres vel quatuor Cōſiliarii ei adeſſent. Volebat manum Regis exoſculari, ſed ille in vlnas ſuas compræhenſum tanto feruore ad pectus ſuum admouit, vt dolorem inde Viceadmiralis aliquem perciperet, volebat enim hoc ipſo, quam gratus ſibi aduentus eius eſſet, innuere. Quærebat deinde, nihilne literarum vel diplomatum à Principe ſuo haberet, cumque diploma Principis Sebaldus ei exhibuiſſet, iuſſit ille ſtatim literas, quas à Mauritio antea acceperat, afferri, collatisq; & ſcriptura & ſigillo, cum conuenire inuicem cerneret, lætatus admodū, ſi Hollandi, dixit, commercia ſua in ſuo Regno exercere impoſterum cuperent, ſeſe omnia non ſolum aromata ſua pro illis impoſterum conſeruaturum, & literis illos Regibus vicinis aliis ita commendaturum, vt commercia paſſim libera exercere poſſent. Promittebat porro ſe cum viginti millibus armatis Caſtellum Luſitanorum, quod in *Columbo* haberent, oppugnatum profecturum, dummodo Hollandi Luſitanos acceſſu arcere & prohibere vellent, ne auxilium obſeſſi ex *Goa* accipere poſſent. Pro hoc officio decreuiſſe ſe affirmabat omnia, quæ expugnaturus eſſet caſtella, Hollandis habitanda & poſſidenda tradere, vt illa ſuis hominibus pro libitu firmarent atq; munirent, & commercia poſtmodo ſua libere per vniuerſam terram illam exercerent, facto neceſſitatis tempore ad propugnacula & Regem ipſum recurſu, qui amicitiam cum illis arctiorem contrahere decreuiſſet. Expetebat igitur, vt Viceadmiralis his conſideratis, auxilium ſibi non denegaret, ſciretque, quod ſi Regem auxilio deſtitutum relicturi Hollandi eſſent, occaſionem impoſterum tam exoptatam in regno iſto commercandi non recuperaturi eſſent.

Munera varia Sebaldo de VVeert oblata.

Viceadmiralis ſolus cum Rege in Candy ſermonē inſtituit.

Cum autem veſpera facta eſſet, & Viceadmiralis reditum ad diuerſorium ſuum pararet, Rex ſolutum à collo ſuo dentiſcalpium aureum ei donauit, præcepitque, vt poſtero die ſecum pranſurus reuerteretur. Sequenti igitur die cum inuitatus iterum acceſſiſſet, de multis & variis rebus cum eo Rex locutus eſt, cumq; filia Regis 6. annos nata adueniret, illa aureum poculum vino repletum Viceadmirali apportare iuſſa eſt, quod poculum ei Rex ſimul donauit. Paulo poſt etiam filius Regis trium annorum puer adueniens, manum Viceadmirali exhibuit, & pugionem ei ſuum donauit, cui ipſe contra gladium, quo accinctus erat, dono dedit. Rex autem, ſi per ætatem filii id fieri poſſet, miſſurum ſeſe eum ad Mauritium affirmabat, vt in re & ſcientia militari aliquo modo exerceretur. Poſtquam igitur Viceadmiralis ſe Regi auxilio adfuturum promiſiſſet, ſeque propterea ad *Achin*iam profectum dixiſſet, viſum an ſocietatis ſuæ naues aliquot ibi adeſſent, quas in auxilium adducere poſſet, Rex eum

Sebaldus de VVeert prādio à Rege in Candy excipitur.

viginti quinque Cinnami *Quintaliis*, & sedecim *Quintaliis* piperis donatum à se dimisit, cumque ad naues suas reditũ pararet, aulę magistrum ei cum 60. armatis adiunxit, variisque eum cibariis duorum dierum itinere prosecutus est. Duæ naues *Vlissinga & Anser* 11. Decem. An. 1602. ex *Zeilon* versus *Achin* profecti sunt. Nauis v. *Zirickse* 14. Ian. A. 1603. cum Viceadmirali ex *Zeilon* versus Achiam nauigationem instituit, & 5. Feb. ad portum Ciuitatis appulit, vbi duas prædictas naues inuenit. 8. Martii adhuc duæ aliæ naues eo venerunt, & sequenti 10. tres reliquæ, nempe *Hollandia*, *Sepes Hollandica*, & *Stella*, secutæ sunt. Cum a. omnes conuenissent, significauit eis Seb. de Weert, quod Rex in *Candy* promiserit omnia Lusitanorum Castella Hollandis possidenda tradere, si in eiiciendis Lusitanis suam Regi operam nauare vellent, siquidem omnino speraret, fore, vt Hollandorum opera à Lusitanis facile liberetur. Cum igitur iam mercium nihil accipere pro onerandis nauib. suis possent, consultũ sibi videri ait, Regi huic gratificari, cum is præsertim promiserit, se impedimento nauib. non futurum, sed tempestiuè statim omni beneuolentia auctas dimissurũ, quin imo vbi operam ipsi vtilem præstitissent, omnem sese fructũ pro Hollandis conseruaturum, & nihil pecuniæ pro illis accepturũ. Reliquerat Viceadmiralis ad petitionẽ Regis duos apud eũ socios, atq; ita cũ beneuolentia ab eo discedens, *Achin* versus nauigationẽ intenderat, quo reliquæ ẽt naues 10. Martii vti dictum, aduenerunt. Cognouerunt a. ibi statum duarum Gallicarũ nauium, quarũ altera ad *Maldiuas* Insulas naufragiũ fecerat, altera vero cum exigua vectura domũ repetierat. Sed & de Anglis cognouerant, eos in freto *Malacensi*, duarũ ex societate *Moucheron* nauium auxilio, nauẽ quandam Lusitanicã, pannis sericis & gossypinis, multisq; gemmis & reb. preciosissimis aliis onustã expugnasse. Angli isti ẽt in *Achin* fuerant, ibiq; domum quandã lapideã extruxerant, qua merces suas ab incendio & aliis periculis conseruarent, cũq; piperis partẽ aliquam accepissent, oneratis nauib. suis inde iterum discesserãt. Cæterũ Viceadmiralis 11. Martii vna cũ quibusdã aliis ad vrbẽ profectus est, cum. n. in littore Elephantos aliquot paratos inuenissent, cõscensis illis ad aulam munera sua Regi oblatum progressi sunt, quos Rex vicissim gossypinis vestib. donauit. Splendide a. satis pro ratione loci istius excepti, dapesq; ipsis in vasis argenteis propositæ sunt. Sequenti die iuniori ẽt Regi munera sua obtulerunt, à quo similiter satis splẽdide excepti sunt. Fuerat hic superiorib. annis Rex in *Pedir*, quam Prouinciã iam frater eius iunior obtinebat, ipse a. in Regẽ ad Achin electus, & viuẽte adhuc patre eius diademate insignitus fuerat. Erat 15. Martii solemne aliquod in ciuitate Festũ nẽpe Paschatos, quod quotãnis finitis ieiuniorũ dieb. celebrare solent. Ieiuniũ a. siue quadragesimale tẽpus semper finito duodecimo mense in tẽpus nouilunii incidit, & per integrum mensem ad nouilunium proximum continuatur, quo instante, ieiuniũ quidem circa vesperam finitur, & Pascha in seq. diem incidit, qnod annuatim anticipare, & tanto citius ingruere solet, quo tempus 12. mensium citius finitur. Cum igitur hoc anno nouiluniũ incideret in 14. huius mensis diem, erant in omnib. Ciuitatis plateis homines plurimi, qui facie in occasum directa, magno desiderio exorientẽ lunam respiciebant. Quãprimũ igitur eam emergentẽ videbant, finito eorum ieiunio sequenti statim die Festũ Paschatos initiũ sumebat, quod more Turcico trib. continuis dieb. celebratur. Ieiunium suũ tam strenue obseruãt, vt nemini, qui 10. ætatis annũ excessit, aliquid gustare audeat, donec sidera in cœlo appareant. Finito a. ieiunio totã noctem

Viceadmiralis nauibus reliquis petitionem Regis exponit.

Angli nauem Lusitanicam expugnant.

Hollandi Regi in Achin munera sua exhibent.

Festũ Quadragesimæ & Paschatos in Achin.

noctem comessando transigunt. Hollandi cũ dies illuxisset, versus aulam regiã ꝓcedentes, viderunt, quomodo Elephantos suos ad Festũ præpararent, cũq; ad *Besar* siue aulam venirent, cernebant ibi multa vexilla vndiq; affixa, multiq; ad aulã vndiq; homines confluere. Hollandi quidem liberũ habebant aditum, licet omnes portæ militib. vndiq; munitæ & obfirmatæ essent. Admissi a. in atrium calceos exuere cogebantur, & Rex quidem in loco quodã Palatii eleuato sedens vndiq; circumspicere poterat, cui Hollandi honorem exhibentes, capita quidem nõ nudabant, sed complicatas manus capiti imponebant, & alta voce acclamabant, *Daula tuan Con*, quod idẽ est ac si dicas; Viuat Rex. Ex opposito Regis locus erat nonnihil à terra eleuatus & panno atro instructus, vbi Hollandi quidẽ omnes consederũt, pedib. sartorum instar cõplicatis. Postq̃ a. consedissent, sermones varios cum illis miscere, interpretis adhibita opera, Rex visus est, finito vero colloquio apponebantur ei dapes variæ in aureis argenteisq; patinis, quę dextra manu cõtrectare cogebantur, ita vt sinistra nequaq̃ adhiberetur. Paulo post Elephas eximiæ magnitud. pulchre exornatus adducebatur, collocabaturq; super eũ Rex iunior, galea aurea insignitus. Ante eũ sedebat aliq̃s qui Elephantũ gubernabat, gerebat a. in capite diadema aureum, indutus porro elegantissimo vestitu, gemmis & auro nitente, post eum similiter aliquis sedebat decenti admodũ habitu ornatus. Cũ igitur iã per omnia paratus ad eundũ esset, Hollandi salutato Rege, iuniorẽ illũ variis instrumẽtis musicis instructi, comitati sunt, q̃ multis stipat⁹ nobilib. Elephãtis partim, partim & equis insidentib. ex aula ꝓgrediebatur, ꝓsequentib. eum multis qui tympanis, cornibusq; canebant, & vasa ænea pulsando ingentẽ sonum edebant, Hollandi cũ ex aula ꝓcessissent, Elephantis ẽt insidere cogebantur, atq; ita cũ Rege ꝓgrediebantur ad ædificiumq̃dam in aperto quodam loco constitutũ, quo cũ venissent, Rex Elephanto descendẽs, ædificium illud ingrediebatur. Erat a. vndiq; apertũ, cumq; se populo ibi conspiciendũ dedisset, Elephantũ aliũ conscendens versus *Mosquittã* siue templum progressus est, q̃ in patenti itidẽ campo cernebatur, & pãno gossypino vndiq; instratũ erat. Hollandi cũ in comitatu hucusq; peruenissent, conuerso itinere domũ iterũ petierunt, excepto Viceadmirali, qui cũ paucis quibusdã sociis ante fores templi Regẽ exeuntẽ præstolabatur, vt ad aulã eum iterũ reduceret, quo vt peruentũ est, iussi sunt locũ priorẽ occupare, & appositis cibis sese oblectare. Cæterũ cũ intellexissent Hollandi parũ sibi spei relictũ, & vix 6. aut 7. mẽsib. aromatũ pro nauib. suis satis sese accepturos, cõstituerunt 20. Mart. Regi valedicere, & quantũ piperis eo tẽpore haberi ibi posset, explorare. Ad aulã igitur iterũ profecti consuetũ suũ locũ occuparunt. Accedens a. ad eos *Sabander*, quid petitũ iam aduenissent, q̃rebat? Respon. Viceadm. decreuisse se cũ vniuersa 6. nauiũ classe versus *Zeilon* ꝓficisci, vehementer igitur scire cupere, quantũ piperis adueniente *Saison* expectare deberent? Respondebat a. *Sabander*, posse eos duas naues ibi relinquere, q̃ satis ꝓ illis piperis ibi haberetur. Dicebat Viceadmiralis, promisisse se Regi in *Zeilon*, q̃ vellet eũ contra Lusitanos iuuare, necesse igitur esse, vt cũ vniuersa classe eo proficiscerentur, & vires suas coniũctas haberent, dũmodo a. scire possent, quantũ piperis ibi expectare deberent, velle sese naues aliquot eo tẽpore remittere, & iã aliquos ex sociis suis cũ parte merciũ ibi relinquere. Expetebat a. preterea vti ędificia domui quã inhabitarẽt viciniora omnia destruerẽtur, atq; dom⁹ illa libera relinqueretur, quo ab omni incendiorum periculo libera esse posset, cum incendia ibi admodum vsitata sint. Inter colloquendum varii ipsis cibi in argenteis aureisque patinis affere-

Hollandi Regem ad templum euntẽ comitantur.

Hollandi dimißionem à Rege in Achin impetrant.

afferebantur,tandem Rex ipſemet conſuetum ſuum locum occupans inde reſpiciebat,cui Hollandi honorem more ibi vſitato exhibuerunt. Cum igitur per interpretem de mente Hollandorum edoctus fuiſſet, amice ipſis ad omnia reſpondit, & omnia felicia eis precatus à ſe eos dimiſit, cum quibus *Sabander* ſtatim ad domicilium ipſorum progreſſus, vti reliqua eius loci ædificia omnia deſtruerentur, imperauit.

Hollandi Legatum à Rege in Achin ad Regem in Zeilon deſtinatum in naues ſuas accipiunt.

Viceſimo ſexto Martii emebant à Generali Spilbergio celocem 55. onerum capacem, in qua conſtituta erant decem tormenta ænea; relinquebantur etiam in ea miniſtri quidam, quibus Viceadmiralis plures adiunxit, vti ſecum in littore *Choromandelio* ad ſinum *Bengalæ* proueherentur. Vltimo Martii Viceadmiralis cum ſociis quibusdam ad ſeniorem & iuniorem Reges illis valedicturus, profectus eſt: decreuerant enim primo quoque tempore inde diſcedere, & *Zeilonium* Inſulam petere. Laute autem & prolixe admodum à Rege habiti ſunt, qui Legatum hac occaſione ad Regem in *Zeilon* mittere voluerat. Cum igitur vti in ſuas eum naues reciperent, rogarentur, non poterant hoc Regi officium denegare. Receptum igitur ad naues ſecum abduxerunt. Eligebant autem Ioannem Decker nauis *Vliſſingen* adminiſtratorem, qui cum ſociis aliquot aliis ibi remaneret, & vendendis mercibus interea, dum cum duabus nauibus reuerterentur, operam daret.

Ciuitatis Achin deſcriptio.

Iam quod ad Ciuitatem Achin, eius nempe ſitum & fertilitatem, religionis item, legum, veſtimentorum & aliarum rerum rationem attinet, paucula de illis annotanda ſunt, facto initio à portu, in quo Hollandi ſtationem pro nauibus ſuis habuerunt. Portus igitur iſte ad Sclopi iactum à fluuio abeſt, qui verſus Auſtrum excurrit, habetque arcem aliquam ad ſiniſtram fluuii extructam, nauibus acceſſu prohibendis perquam opportunam. Vrbs ipſa extenditur ad dimidium miliare iuxta littus fluuii, ædificia habens ex lignis in terram defoſſis, parietes & tecta ex arundinibus conſtant, aſcenſus autem exterius per ſcalas patet. Nam in ima ædificiorum parte habitare non poſſunt, propterea quod aquæ interdum adeo excreſcant, vt tota Ciuitas vndis quaſi immerſa videatur. Confluunt ad vrbem hanc multi peregrini, nempe ex littoribus, *Malabar*, *Guſaratan* & *Negopatan*, itemque à littoribus *Coromandel*, *Bengala*, *Pegu*. Sed & Arabes ex finibus rubri maris ex *Mecha* & locis aliis ad ciuitatem hanc crebro pertingunt. Leges & ſtatuta Mahometica obſeruant, quæ ex Arabia ante paucos annos acceperunt, cum ſuperioribus annis ethnicam adhuc impietatem ſequerentur. *Moſquitas* habent ſiue templa in Ciuitate plurima, leui opere conſtructa, & ad paſſus aliquot ab ingreſſu ſiue foribus vas aliquod aqua plenum conſtitutum eſt, ex quo pedes lauare coguntur, antequam templum ingrediantur: hoc facto terram amplius non contingunt, ſed ſuper lapides incedunt, qui longo ordine, per certa tamen interualla vſque ad ianuam templi diſpoſiti cernuntur, ita vt ab vno ad alterum non niſi per ſaltum pertingere poſſint. Templum vero iis, qui circumciſi non ſunt, atque ita Mahometicam ſuperſtitionem non amplectuntur, ingredi nequaquam permittitur. Nam Ceremonias mere Turcicas habent, quas hic referre operæ precium non eſt.

Conſtitutio politica in Achin.

Quod ad conſtitutionem politicam attinet, ſciendũ eſt, omnes Regi ſubditos & quaſi mancipia ſubiectos eſſe. Rex a. terram omnem per quatuor dynaſtas, qui ipſis *Sabandares* ſunt, gubernat, qui proximi à Rege habentur. Apparet autem, Regem non cupere, vt Ciues & ſubditi ſui diuites

diuites fiant. Quare qui diuitiis forte prædìti sunt, illud confiteri, aut de illis gloriari non audent. In puniendis sceleribus rigidi admodum & seueri sunt, pœna autem plerunque est manuum pedumq; detruncatio & mutilatio, eaque ob leuem aliquando causam alicui infligitur. Viderunt aliquos ibi oberrantes Hollandi, quibus vna tantum manus, & vnus pes erat, sed & vtroque pede & vtraque manu mutilatos viderunt, cruribus in arundinem crassiorem insertis & scipionibus ad vtrumque brachium alligatis, quibus se sustentare intereundum eo commodius possint, & afficiuntur hac pœna non vulgares tantum & tenuioris fortunæ homines, sed & nobiles & primarii quique. Vnde in aula regia aliquem viderunt, de quo dicebatur, quod affinis Regis esset, matris nempe iunioris Regis frater, huic nares, auresque & labia ita abscissa & resecta erant, vt fœdò admodum adspectu esset, & nihilominus tamen quotidie in aula Regis versabatur, sustentationem suam ibi habens.

Rex senior sese in aula semper continet, ita, vt nunquam egrediatur, cum propter ætatem aliter non possit. Qui eum conuentum volunt, coguntur id ei primum significare: hoc enim facto, si quando vacat eum admittere, mittit ei *Clappen* ad portam primam, sic enim ipsi vocant, estque portitor aliquis, pugionem inauratum gestans, hoc veniente patet alicui ingressus, alias vero ingredi nemo audet. De hoc Rege dicunt aliqui, eum ante hæc tempora piscatorem tantum fuisse, & regnum per vim & tyrannidem ad se rapuisse. Aula eius siue palatium regium in parte ciuitatis meridionali situm est, aliquot vallis & fossis munitum, ad quod non nisi per septem portas ingressus patet. Ipsum palatium multis trabibus & columnis ligneis impositum est, quarum aliquæ cœlato opere constant, tecto arundineo constat, & extrinsecus *Pallassada* siue sepimento ligneo vndique cinctum est. Nulli autem viro ingressus ad interius hoc palatium patet, satellitium enim Regis ex meris mulieribus constat, à quibus etiam omnia ministeria Regia perficiuntur, cum præsertim armis etiam instructæ sint, & illis bene vti sciant. Si forte cum aliquo conferre & loqui libeat, per fenestram respiciens, interpretis opera vtitur, vt supra quoque dictum est. Vtitur interdum etiam *Tubacca* inter potandum, alias semper inter mulieres suas versatur, quæ fricando, terendo & ventulum excitando ei semper ministrant. **De Rege in Achin.**

Delectatur autem interdum gallorum concertationibus, quæ fieri solent in area palatio suo subiecta, vbi ad fenestram sedens interdum pecuniam deponit, instituta cum alterius cuiusdam galli domino concertatione, vter superior futurus sit. Iunioris Regis palatium ei vicinum est, cui similiter à mulierculis inseruitur. Solet autem is interdum prodire in publicum, mulieribus vndique cinctus & stipatus, quæ omnes bombardis, gladiisque & hastis armatæ conspiciuntur. Hoc autem satellitio cinctus interdum flumen ingreditur, vt ibi lauet, interdum Elephantos ad venationem producit, vt syluestres aliquot capiat, quibus Insula hæc admodum abundare cernitur, vnde pro certo aliqui affirmant trecentos plus minus Elephantos cicuratos in *Achin* reperiri, quorum aliqui insignis sunt magnitudinis. Gubernantur autem à ministro aliquo, qui collo Elephanti insidens, furca aliqua caput eius dirigere & flectere solet, in quamcunque partem iter eum facere expetit, cum autem genua flectere & sessorem admittere debet, aliud quidem nihil dicendum, quam *Drom*, quod verbum ipsi continuo intelligentes in genua concidunt, atque ita aliquis

facili labore aſcendere in eos poteſt; etiamſi vel vaſtiſſima corporis mole conſtent.

Veſtitus in Achin virilis & muliebris ratio.

Quod ad veſtitus rationem attinet, panno goſſypino corpus medium obuoluunt induſiumque ex eodem panno ſuperinduunt, pannum inuolutum capiti ſimul imponentes, & nudis pedibus, cruribusque incedentes, cum moris ibi non ſit, vt vel tibialia geſtent, vel crura & pedes contegant, ſiue diuites ſint, ſiue pauperes, inter quos non vſque adeo facile eſt diſcernere, cum vna & eadem veſtitus ratione omnes vtantur, multi tamẽ reperiuntur, qui panni ſaltem goſſypini ſegmentum circum corpus conuolutum geſtant, extremitate alterutra ſuper humeros iniecta, idque plerunque cærulei coloris exiſtit. Sed & mulieres eodem modo veſtitæ incedunt, capillo poſt caput conuoluto & reuincto. Salutaturi ſeſe inuicem complicatas manus fronti admouent, ſed ad Regem ſi forte peruentum eſt, manus quidem complicandæ & capiti imponendæ ſunt, addita acclamatione *Daulatuan Con*, quod idem eſt, ac ſi dicas; Viuat Rex. Veſtitus hic quidem indigenarum eſt, nam quod ad peregrinos attinet, nempe ad Guſaratas, Malabares, & eos, qui vel ex ſinu *Negopatan*, vel *Bengala*, vel *Pegu*, vel aliis regionibus aduehuntur, patrium veſtitus morem retinent, quidam enim goſſypinis veſtimentis albis, quidam ſupparo & ſubligaculo, itemque crepidis &c. vtuntur.

Quod ad fructus, vnde ſe ſuſtentant, attinet, panem quidem non habent, ſed eius loco oryza vtuntur cocta, & in pulmẽtum parata. Nam cum inde præcipuum ſuum alimentum habeant, coquere eam optime norunt, parantes inde etiam placentas, eaſque affuſo oleo mollificantes. Bubalos autem habent magna copia, itemque boues & vaccas extuberantiam aliquam in collo, quaſi gibbum habentes, capras hircosque habent plurimos, non deſunt etiam gallinæ, ſed ſatis care væneunt. Aurantiorum, limoniorum, *Bonanes*, Indicarum nucum, Tamarindorum, *Batatas*, Raphanorum item & aliorum olerum, ingens ibi prouentus eſt. Potus eorum vulgaris aqua eſt, habent tamen etiam aquam ex nucibus Indicis, oryzaq; deſtillatam, quæ inſtar vini igne eliquati homines inebriat, & *Arack* ipſis vocatur. Folia, quæ *Betele* vocant, calce illinita aſſidue tam diuites, quam pauperes mandunt, adhibito ſimul fructu, quem *Aracka* ſiue *Fauſel* nominant, hanc enim maſticationem ſtomacho conuenire, & halitum bonum excitare aſſerunt. Hollandi inuenerunt in hac vrbe etiam arborem quandam, iuxta *Muſquitam* ſiue templum plantatam, cuius Iohannes Hugo Lintſchottanus meminit, à quo *Arbore triſte de dia* vocatur. Nocte enim floribus vndique oppleta eſt, qui exoriente Sole omnes iterum decidunt.

Arbor triſtis in Dia.

Lingua plerunque Malaica vtuntur, quamuis propriam etiam ſuam, ſiue peculiarem habeant, cum præſertim etiam ſcholam pro erudienda iuuentute aperuerint, in qua legendi & ſcribendi pueris ratio monſtratur, ſcriptura enim iſta more Iudæorum à dextra ſiniſtram verſus procedit.

Turcæ ſalui conductus literas ab Hollandis petunt.

Primo Aprilis, cum Viceadmiralis in naui Hollandia eſſet, Turcæ quatuor ex regno *Negapatan* oriundi, cum muneribus ad Viceadmiralem venerunt, ſalui conductus ſibi literas dari petentes, quibus ſeſe à nauibus, in quas forte incidere poſſent, tuerentur. Petebant præterea, vt & ad ſuam aliquando accedere regionem vellent, multo eam pipere abundare dicentes. Sequenti die nauicula quædam ab *Achin* verſus *Negapatan* velificationem inſtituit, quæ onerata erat duobus Elephantis, & multo ſulphure, cuius partem maximam *Poullo VVay* Inſula leucas ab hoc portu duas diſtans,

ſtans, mittit. Tertio Aprilis, cùm ſibi de rebus omnibus proſpexiſſent, Saburramque ſiue lapides ex Inſula *Poullo VVay* aggrauandis nauibus ſuffi-cientem aduexiſſent, cum ſex nauibus & celoce à Georgio Spilbergio re-dempta inde ſoluentes abierunt, curſum ſuum verſus Septentrionem diri-gentes. Proceſſit autem cùm illis itinere dimidii diei Georgius Spilber-gius, qui circa meridiem illis valedicens, *Bantamum* verſus curſum ſuum di-rexit, Selandiam inde petiturus; cui literas ſuas ad amicos in patriam de-ferendas Hollandi tradiderunt. Accipiebant autem ventum Septentrio-nalem, dirigebantque curſum ſuum verſus Inſulam *Zeilon*. Quarto Aprilis nauiculam quandam videbant, quam paulo poſt eam eſſe agnouerunt, quæ paulo ante ex portu *Achin* ſoluens *Negapatan* verſus iter ſuum inſti-tuerat. Habebant vero poſtea à 5. vſque ad 12. tempeſtatem ſatis tranquil-lam, vario vento permixtam.

Soluunt ex portu in Achin.

Cum igitur ita in itinere eſſent, 16. Aprilis, qui dies Mercurii erat, ie-iunium per omnes naues indixerunt, preceſque publicas fieri imperarunt, quibus Deum inuocarent, vti nauigationem hanc ſibi felicem & proſperã largiretur, faceretque, vt hac occaſione ~~ab iniquitate Luſitanorum perni-ciem Hollandorum dies noctesque meditantium~~ liberati, commercia im-poſterum ſua maiori cum vnitarum prouinciarum fructu & vtilitate tra-ctare & promouere poſſent. Cæterum mediocri vento vtentes, intra 16. & 21. Aprilis diem non paucos morte extinctos amiſerunt. 21. autem die ventus aliquanto vehementior exortus eſt, cuius beneficio haud parum promoti ſunt, ita vt 24. ſtatim die *Zeilonium* ipſis appareret, cum vero ad-huc 7. leucas inde abeſſent, circa veſperam anchoras ad 17. orgyas pro-iecerunt, aberantque adhuc miliare vnum à terra. Sequenti 25. Aprilis die, iter inceptum cõtinuaturi leucas adhuc tres iuxta littus progreſſi ſunt, vbi littus *Matecalo* aſſecuti anchoras ſtatim firmarunt. Veniebant autem ad Viceadmiralem quidam, fructus & alia afferentes, inſignemq; lætitiam ob reditum eius declarantes. 26. Aprilis, Viceadmiralis, collectis ex omni-bus nauibus 130. armatis ad littus prouectus eſt. Cum autem in pago quo-dam, donec æſtus vehementior ceſſaret, quieuiſſent, eleganti ordine cum vexillis & tympanis, *Matecalo* verſus, ſalutatum Regem porro contende-runt. Viceadmiralis autem Elephanto inſidebat, & ciuitas *Matecalo* à lit-tore maris ad duo miliaria diſtat. Cum vero eo veniſſent, Regique mune-ra ſua obtuliſſent, amice admodum & honorifice ab eo excepti ſunt, erant-que ibi centum vel amplius ſubditi in aciem quaſi diſpoſiti, vt ſcloporum & bombardarum diſploſionibus ſpecimen ſui in hac arte profectus exhi-berent, quamuis ſclopos tractare nondum expedite ſatis poſſent. Offere-bat autem Viceadmiralis Regi epiſtolam aliquam, quam Regi in *Candy* transmitteret, vt de aduentu ſuo quamprimum edoceretur, quã epiſtolam Rex etiam ſtatim deferri curauit. Incolæ paſſim gaudium & lætitiã ſuam, quam ob aduentũ Hollandorum conceperant, variis ſignis declarabant, cumq; per domus varias diſtributi eſſent, & iam veſpera inſtaret, cibũ ipſis Rex oryzã nempe, gallinas, piſces & mel, more regionis vſitato, afferri cu-rauit. Boues & bubali magna copia ibi habentur, ſed eos neq; mactare, neq; in cibum aſſumere, cuiquam licet, cumq; nefas eſſe putarent eos occidere, Hollandis illos etiam vendere recuſabant. Cæterum pernoctantes ibi ſo-mnum capere eos muſcæ & culices non ſinebant, nam & incolæ, vt ab eis ſeſe vindicarent, per totam noctem flammam fumumque eo loco, vbi dor-mire conſueuerunt, fouere viſi ſunt.

Preces publicæ in nauibus inſtituuntur.

Veniunt ad portum Matecalo.

Viceadmiralis ad Regem in Matecalo proficiſcitur.

Vt illuxit autem, iterum ſurgentes ſtatim, naues ſuas repetierunt, Viceadmirali cum aliquot aliis in vrbe manentibus, idque eam ob cauſam, quod Rex promiſerat ſeptem ſingulis diebus ceruos ad naues transmittere. Die 29. Thomas quidam *Tongerloo*, celocis adminiſtrator, cum aliquot aliis ſcapham Viceadmiralis ingreſſus, verſus angulum Septentrionalem, leucas fere duas, ad pagum *Polygamme* dictum, profectus eſt, vt Præfectum eius muneribus aliquot ſalutaret atque donaret. Pagus iſte vnius fere horæ itinere à littore diſtat, & iuxta æſtuarium quoddam maris ſitus eſt. Eodem vero tempore duæ adhuc ſcaphæ, Sepis nempe Hollandicæ & Vliſſingæ, Auſtrum verſus excurrerunt, ad pagum quendam *Panane* dictum, qui à nauibus fere ad leucas 10. aberat. Aſſumpſerant vero ſecum etiam merces quaſdam, vt eas ibi, vt & alibi locorum pro gallinis & fructibus variis permutarent.

Rex Matecalo ad littus maris proficiſcitur.

Circa meridiem vltimi Aprilis Rex in *Matecalo* ad littus maris, cum 9. vel 10. Elephantis & ducentis fere armatis, qui haſtas, arcusque & gladios euaginatos, cum ſclopis atque bombardis geſtabant. Rex ipſemet induſio eleganti candido indutus erat, ſuperiniecto thorace ſericeo, globulis aliquot colligato, circum pudenda & femur ipſum panno goſſypino circumuolutus erat, mitram in capite gerens rubram, eleganti iunctura conſutam, & auro leuiter fimbriatam. Auriculas habebat ad humeros vſque propendentes, & aliquot annulis aureis exornatas. Hollandi autem cum cognouiſſent, Regem in littore eſſe, tria tormenta ſingulis in nauibus honoris ergo diſploſerunt, moxque Viceadmiralis ſcapham cum ſclopetariis quibusdam militibus ingreſſus, ad littus prouectus eſt, vbi poſt mutuã ſalutationem ſatis diu interueniente interprete inuicem locuti ſunt. Cõmemorabat vero inter alia Rex, ante decem vel duodecim annos vatidicum quendam ibi vaticinatum fuiſſe, fore, vt poſt exactos decem vel duodecim annos populus peregrinus eo aduentaret, cuius opera Luſitani Inſula iſta eiicerentur, putare igitur ſe dicebat, populum iſtum Hollandos eſſe, cum illi ſeſe hoſtes Luſitanorum profiterentur. Attulerat autem ipſis piſces aliquot cum multis fructibus, & ceruo vno, cumque veſpera iam inſtaret, cum omni populo iterum receſſit.

Præſtigiator quidam Hollandis ſpectaculum exhibet.

Paulo autem ante diſceſſum eius Hollandis mirabile quoddam ſpectaculum in littore exhibitum eſt à præſtigiatore quodam, qui catenis ferreis ornatus erat, habens ſimul cupream quaſi ſartaginem ſeu tabulam potius à collo ſuſpenſam, quæ effigies aliquot Cacodæmonum Hollandis viſendas exhibebat. Præſtigiator autem hinc inde diſcurrens, tabulam modo abiecit, modo ſublatam rurſus à collo ſuſpendit, tandem arreptum cultrũ admodum latum, quem ad catenam ferream alligatum habebat, per femur adegit, catenamque ferream per vulnus illud mediam protraxit. Hoc facto iterum diſcurrens clamauit, & prolatum cultellum alium ad collum admouit, paratus nimirum eum per collum tranſigere, dummodo id Hollandis gratum fore ſciret, qui obuerſo ei tergo abierunt, audierunt vero poſt modo, eum vulnus illud cultro purgaſſe, & aqua marina eluiſſe, teſta quadam de perfracta olla emplaſtri loco ei impoſita. Cæterum cicatrices in femore plures Hollandi viderant, vnde eum luſum hunc non ſemel luſiſſe, coniecturam facere difficile non erat.

Primo Maii nihil notatu dignum factum eſt, niſi quod ab illis, qui in littore erant, gallinas, *Bonanes*, *Coquos*, & fructus alios, pro plumbo, ſpeculis & cultellis, &c. permutando redimerent, ſed & piſcatum, aquatumque quidam

quidam

quidam cum ſcaphis excurrerunt, quidam in ſyluis feriendis feris, auibuſque capiendis operam dabant, atque ita reſponſum Regis in *Candy* expectabant. *Hollandi ex Poligamme reuertuntur*

Secundo Maii reuerſi ex *Poligamme*, non prædicare ſatis poterant inſignem humanitatem & beneuolentiam, quam ibi experti fuerunt. Præfectus eius loci eos conuiuio exceperat, & laute ſatis tractauerat, idq; in ædibus ſuis, vbi in pannis goſſypinis conſidentes Præfectum ipſum ſibi miniſtrantem habuerant, qui etiam dixiſſet, vniuerſam ſuam terram Hollandis patere, & ſe nihil magis optare, quam vt aliquando Generalis ipſemet ad loca iſta cum nauibus ſuis applicare vellet: paratum enim ſeſe ad littus cum ſuis prodire, atque ita honorifice eum excipere. Finito autem prandio, cum veſpera facta fuiſſet, miniſtros aliquot ardentibus facibus inſtructos Hollandis adiunxerat, quorum opera ſyluam ſuperare, & ad littus peruenire commodius potuerant.

Tertio Maii redierunt etiam ſcaphæ illæ, quæ ante quatuor dies *Pananem* excurrerant. *Reuertuntur ex Panane.*

Hoc *Panane* ad decem fere miliaria Auſtrum verſus à nauibus aberat, vbi à Rege & proceribus regni honorifice item excepti fuerant. Experti autem inſignem beneuolentiam, attulerunt ſecum gallinas, *Bonanes*, *Cocos*, & fructus alios, ſed & in pago quodam *Tirecoy* non procul à littore pernoctãtes oryzæ partem acceperant, quam pro plumbo, minutis ſpeculis, cultellis, & eiuſmodi rebus aliis permutauerant.

Quarto Maii Viceadmiralis cum quibuſdam aliis, duabus ſcaphis *Poligammen* verſus profectus eſt, vt Regem eius loci inuiſeret. Circa meridiem cum nauigium aliquod in plaga meridionali vidiſſent, ſcapham ſtatim cũ armatis aliquot ad illud ablegarunt. Erat autem *Barque* oryza onerata, quam Æthiopes quidam Nigritæ regebant, qui ante 20. dies inde abierant. Non poterant autem Hollandi percipere, quo tendere vellent, exiſtimabant tamen eos *Punto di Gallo* petituros. In *Barque* illa ante paucos dies quidam fulmine percuſſus perierat, reliquis nihil incommodi inde percipientibus.

Quinto Maii ſcaphæ illæ duæ ex *Polygamme* reuerſæ ſunt. Referebant autem ſe à Præfecto eius loci ſatis quidem honorifice exceptos fuiſſe, ſed tamen non ita prolixe, vt ipſis quidem promiſſum fuerat.

Cæterum cum non commeatuum & cibariorum ſatis Hollandi accipere poſſent, & vero Rex in *Matecalo* promiſſis ſuis de ſeptem ceruis, quotidie ad naues mittendis, non ſatisfaceret, progreſſi aliqui cum ſclopis ad ſyluas & dumeta, boues aliquot confecerant, inter naues poſtmodum diſtrib[illegible] eos. Verum incolæ cum hoc cognouiſſent, grauiter offenſi, graue [illegible]ctura hac querelas inſtituebant, & licet Viceadmiralis quidem ſeq[illegible]tidie in terram deſcendens eos placare modis omnibus niteretur, ſi[illegible]nem præſentem pro eis pecuniam refundere decreuerant, exiſtimantes, quod cum viderent eos vendere boues nolle, ipſimet operam dare cogerentur, quomodo eos trucidarent & acciperent, ſed longe aliter rem ſe habere poſtmodum deprægenderunt. Nam 8. Maii, cum rurſus egreſſi quidam eſſent, vt boues aliquot ferirent, vehementer offenſi incolæ, querelas varias inſtituebant. Profecti igitur ad Regem in *Matecalo* aliqui petierunt, vt cum hominibus illis, ad quos boues iſti pertinerent, ageret, ne factum hoc nimis ægre ferrent, ſiquidem parati eſſent ipſis hoc nomine ſatisfacere, & pecuniam pro bobus illis numerare. Sed Rex ipſemet ægre *Hollandi boues aliquot interficientes Regem in Matecalo grauiter offendunt.*

hoc factum ferens aduenisse eos dicebat tanquam amicos, sed iam facto ipso contrarium eos testari, siquidem ne à Lusitanis quidem tam grauis illata ipsis iniuria fuisset, & se quidem vitam potius profundere paratum, quã diutius talia ferre & tolerare. Erant ex illis quidam, qui animas boum hac ratione interfectorũ ad infernum statim præcipitari dicerent. Quæ res licet cõmiseratione dignissima esset; tandem tamẽ Rex, siquidem absistere ab hoc proposito, & nihil tale imposterum committere vellent, condonatum hoc ipsis in præsentia esse debere dicebat, addita promissione, quod oryzam & alia nauibus quotidie suppeditare vellet, vt vnde se sustentarent, haberent.

Duodecimo Maii veniebat ad Viceadmiralem Nauarchus cuiusdam nauigii, quod *Champan* vocant, & in portu illo iam ante Hollandorum aduentum fuerat, oneratum autem fuerat oryza, quam homines illi ad pagum quendam Insulæ illius *Iafanapatan* dictum vehere volebant. Afferebat autem secum quatuor gallinas, & fructus aliquot, Viceadmirali donãdos, vt literas salui conductus ab eo impetraret, quibus se in mari aduersus peregrinorum insultus tueretur, quas ipsas quidem à Viceadmirali facile etiam obtinuit.

Hollandi literas accipiunt à Rege in Candy, per Matsbergerum scriptas

Cæterum 13. Maii venerunt in *Matecalo* quinque viri ex *Candy*, quorum sequenti die tres ad littus processerunt, cumque ad naues porro pertigissent, literas ad Viceadmiralem afferebant, quæ datæ erant 9. Maii, ab Erasmo Matsbergero, homine germano, qui in *Candy* relictus fuerat à Generali Spilbergio. Iam autem in ministerio vnitarum prouinciarum existit. Respondebatur autem hisce literis ad literas, quas Viceadmiralis ad Regem in *Candy* paulo ante dederat. Rex in castris ad *Manicravvari* hærebat, vt victoriam suam ibi continuaret, quæ causa erat, quod non citius responsum acceperant. Cognouerant autem Hollandi ex literis hisce Matsbergeri paternam Regis erga Hollandos affectionem, similiter & lętitiam, quam ab aduentu Hollandorum Rex perceperat, qui porro petierat, vt cum nauibus suis prima occasione ad castellum *Punto di Gallo* contenderent, quod decreuisset illud quamprimum terra oppugnare, addita promissione, se omnia, de quibus filio suo (sic enim Viceadmiralem nominabat) spem fecisset, rata habiturum, & expugnato hoc castello Hollandis tributum annuum, nempe 1000. Quintales cinnami, & 1000. Quintales piperis, persolututurum. Cum ergo confirmaret Matsbergerus, se nullum adhuc fucum dolumue in Rege deprẹhendisse, decretum ab Hollandis est, prima quaque occasione cum vniuersa septem nauium classe, cursum versus prædictum propugnaculum *Punto di Gallo* dirigere. Petierat quidem Rex, vt Viceadmiralis quamprimum ad *Vintane* ciuitatem, medio inter *Matecalo* & *Candy* itinere sitam, excurreret, quo & ipse venire vellet, vt de rebus variis deliberationem inuicem instituerent, verum ne tempus perderent, consultum visum est, iter hoc intermittere, quod ipsum etiam Regi quamprimum significatum est, addita admonitione, vt pro maturanda oppugnatione ista copias colligeret: se enim cum nauibus eo etiam primo quoque tempore progressuros.

Hollandi nauem quandã Lusitanicam expugnant.

Cæterum visa 16. die, naui aliqua, quæ iuxta littus meridionale, loco duas à se leucas remoto vehebatur, scaphas statim tres ad eam ablegarunt, insequentibus paulo post etiam tribus nauibus, *Hollandia*, *Sepe Hollandica* & *Stella*.

Cum igitur Hollandi cum scaphis appropinquarent, viderunt nauem

Lusita-

Lusitanicam esse eximiæ magnitudinis. Itaque qui in vna scapha erant, conuerso statim itinere, ad Viceadmiralem reuersi sunt, relationem ei de naui hac facturi, reliqui vero, qui in duabus reliquis scaphis erant, paulo amplius progressi, deditionem vti facerent Lusitanos admonuerunt, qui nihil respondentes ad sclopos statim & bombardas conuersi sunt, quo viso Hollandi recedentes inter nauem & littus sese continuerunt, donec celocem Viceadmiralis cum priori scapha in auxilium eis mitteret. Cum igitur scaphas illas non solum redire, sed & tres supradictas naues sibi imminere Lusitani viderent, collectis statim Carbasis, cum scapha aliquos ad Hollandos miserunt, qui vitam sibi solum relinqui peterent, quod etiam facile obtinuerunt. Facta deditione Præfectus nauis, *Lopo Aluares* nomine, & cum eo mercator primarius ad Viceadmiralem profecti sunt, qui nauem illam statim occupari & præsidio firmari præcepit. Nauis hæc *Nostra Senora de Rosario* dicebatur, eratque 200. onerum capax, soluerat ante sex dies ex *Cochin*, volebatque *Negopatan* versus, indeque versus *Bengalam*, velificationem instituere. Lusitani in ea 20. Æthiopes vero & Nigritæ 40. fere, præter plurimas mulieres numerabantur. Circa vesperam nauis hæc ad classem Hollandorum in portum traducta est, quæ interea tres adhuc alias naues in *Cochin* paratas esse, vt prima occasione, idem iter *Negapatan* versus ingrederentur.

Sequenti die nauem rursus aliam meridiem versus iuxta littus nauigare viderunt, itaque quinque statim naues cum tribus scaphis eam persecutæ sunt, Viceadmirali cum celoce in portu iuxta Lusitanicam nauem solis relictis. *Expugnant adhuc aliam nauem.*

Non poterant autem toto isto die eam assequi, cumque vespera facta esset, exorta tempestate, ab inuicem dissipatæ sunt.

Decimooctauo autem cum adhuc tres naues, *Hollandia* nempe, *Sepes Hollandica* & *Stella* simul veherentur, ad Viceadmiralem in portum reuersæ sunt, vbi cognouerunt, venisse duos cum literis à Rege in *Candy*. Paulo post autem reuertebatur etiam scapha Viceadmiralis, quæ adiuta à naui *Vlissinga*, eodem adhuc die nauem aliam, non tamen eam, cuius modo mentio facta est, expugnauerat. Hæc *Madre de Dios* dicta, ducentorum erat onerum. Adducebant autem secum scribam ex naui hac, quæ similiter ex *Cochin* veniens, *Negapatan* versus velificationem instituere volebat.

Decimonono Maii videbant adhuc aliam nauem, quam *Hollandia* cum *Stella* & duabus scaphis persecutæ sunt, cumque ad eam venissent comprehensam facili negotio, ad portum secum traduxerunt. Venerat & illa ex *Cochin* susceptoque *Negopatan* versus itinere, *Malaccam* inde & porro Philippinas petere Insulas decreuerat. Onerum erat 70. dicebaturque S. Antonius, Præfectum habens nomine *Pedro Dassouedo*. *Expugnant adhuc aliam nauem.*

Venit eodem die *Modeliar* ex *Candy* ad Viceadmiralem, ex cuius relatione victorias Regis varias, maxime vero expugnationem castelli *Manicravvari* cognouerunt. Post meridiē vero *Sepes Hollandica* cum scapha quadam ablegata à Viceadmirali est, vt Septentrionem versus proueheretur, intellexerant enim nauem adhuc vnam deesse, quam putabant eam quidem fuisse, quam 17. vt supra dictum, prætereuntem assequi non potuerant. Existimabant autem eam ad *Trinque de Malo* applicuisse, itaque *Sepes Hollandica* eo vsque excurrere, & 24. horas eam ibi expectare debebat.

Vigesimo Maii videbant duas suas naues, *Vlissingam* nempe & *Anserem*,

ad

Hollandi adhuc vna naui Lusitanica potiuntur.

ad portum redire, quæ expugnatam nauem *Madre de Dios* dictam, circa meridiē secum adducebant. Cæterum *Sepes Hollandica*, quæ pridie eius diei abierat, conspecta naui aliqua, diem noctemque ei persequendæ operam dabat. 21. autem die aliquanto propius aduecta, eam absque vlla reluctatione compræhendit. Verum enimuero Præfectus cum Nauarcho & 20. personis aliis priori die scapham ingressi captiuitatem euaserant, ita vt vnus saltem Lusitanus miles, cum Æthiopibus aliquot in naui adhuc superstites essent, cui similiter *S. Antonio* nomen erat. 23. *Sepes Hollandica*, cum expugnata naui hac portum inuecta est, quæ 80. plus minus onerum capax putabatur, & duos elegantissimos equos Persicos continebat. Hollandi autem literas subinde à Rege in *Candy* accipiebant, quibus continuatio victoriarum Regis in *Candy* confirmabatur. Equi illi duo empti erant 1590. Regalibus octonorum Ioachimicis Imperialibus, debebantque *Negopatanum* similiter adduci.

Quod autem ad bona attinet, quæ in nauibus hisce omnibus reperta sunt, nullius ea momenti erant, quamuis capacitas illa ingentem mercium vim desiderare videretur. Habebant autem aliquot saccos tritici longe pulcherrimi, quale ex *Cambaya* affertur; præterea æris Caldarii, radicum *Chinæ*, & aquæ rosaceæ non parum, cum tribus fere piperis oneribus, in illis reperiebatur. Causa autem cur hasce naues expugnarant, erat partim persecutio & odium, quo erga Hollandos Lusitani semper ardent, partim quod Regi in *Candy* testatum reddere volebant, quam non amici, sed hostes Lusitanorum veri essent: ideo enim tantum in expugnandis hisce nauibus laboris insumpserant, quamuis perniciei id eis magis, quam promotioni fuerit.

Rex in Candy iter suscipit versus Matecalo.

Rex accepta, de expugnatione harum nauium, relatione, magna affectus lætitia, 25. Maii iter statim ex *Candy* versus *Matecalo* ingressus est, datis tamen prius ad Viceadmiralem literis, quibus vehementer admodum petierat, ne Lusitanos illos dimitteret, sed vel ipsemet interficeret, vel sibi puniendos committeret. 28. Maii venerunt quidam ad littus, qui gallinas, butyrum, oryzam, oua & fructus varios à Rege in *Candy* eo transmissos asportarent. Postquam autem Lusitanis initio petentibus promissum esset, quod vellent eos liberos cum naui quadam, qua in *Negopatan* peruenirent, dimittere, promissis vti starent. 29. Maii eos cum duabus nauibus, *Nostra Senora de Rosario* & *Sancto Antonio* dimiserunt, exceptis quibusdam mancipiis, & qui sponte sua apud eos manere volebant. Itaque hæ duæ naues cum salui conductus literis eo die à Viceadmirali *Negapanum* versus abierunt, & Lusitani quidem gratias Hollandis maximas egerunt pro beneuolentia & officiis omnibus sibi præstitis. Erant quidem initio aliqui in hac sententia, eligendum esse ex illorum numero *Pilottam* siue gubernatorem nauium, cuius opera in littoribus *Gallo* & *Columbo* quemadmodum in sinu & littore *Choromandel* vterentur, verum cum tam diligenter instarent, & vti dimitterentur, peterent, consenserunt tandem, vti omnes salui dimitterentur.

Lusitani captiui cum duabus nauibus dimittuntur.

Non ignorabant quidem hanc dimissionem Regi in *Candy*, non vsque adeo gratam futuram, verum quia ipsis fides initio data erat, eam fallere parum liberale putabant.

Cum igitur etiam inhumanum esset, captiuos illos bonis omnibus exutos vita insuper priuare, petitioni Regis hac quidem in re non existimabant satisfaciendum.

Trice-

Tricesimo Maii, cum cognouissent Regem in *Candy* sequenti die ad *Matecalo* venturũ, præparare sese cœperunt, vt ad futurum diem Regi obuiam procederent, & solemniter eum exciperent. 31. Maii Germanus quidam ad naues veniebat, qui pridie eius diei à Rege ablegatus fuerat, cum quinque non amplius leucas à *Matecalo* abesset, vt ita aliter cogitare non possent, quam Regem circa vesperam in *Matecalo* adfuturum. Accipiebãt autem eodem die etiam fructus aliquot à Rege ad naues præmissos. Præparabant igitur sese modis omnibus, vti Regi sequenti die obuiam ire, eumque honorifice excipere possent, quo quidem fine ingens tabernaculum in littore excitatum est, vbi Regem exciperent, & vnde eum postea ad naues, siquidem ita liberet, traducerent, deliberaturi cum eo de omnibus, quæ ad salutem Prouinciarum Belgicarum facere viderentur. *Hollandi præparant se in occursum Regis.*

Primo Iunii Hollandorum ducenti fere ex omnibus nauibus congregati vna cum Viceadmirali & Præfectis aliis in terram descenderunt, quibus tubicines & tympanistæ aliquot cum duobus vexillis aderant. Excensione facta, Regi quidem obuiam eleganti ordine processerũt, cũ vero is ad *Matecalo* nondum peruenerat, dimidium miliare vltra *Matecalo* progressi, eum exceperunt, qui trecentos quidem armatos & aliquot Elephantos secum ducebat. Hic cum Regem honorifice & decenter excepissent, omnes ad *Matecalo* porro profecti sunt, vbi Legatus Regis in *Achin* Regi literas & inauratum *Crys*, siue gladium, Regis sui nomine obtulit. Cæterum Rex, vbi cum Viceadmirali locutus paululum esset, petiit vti armati illi ad naues suas iterum progrederentur, & sequenti die eodem ordine & forma redirent, quo & ipse ad littus procedere vellet, Viceadmiralem tamen cum sociis aliquot secum per noctem manere iussit, quod ita etiam factum est. Nam Viceadmiralis cum nullam vim externam metueret, neque mali quippiam extimesceret, remanebat apud Regem vna cum præcipuis quibusdam administratoribus, Thoma Tongerlo, Henrico Lendgies & aliis, populus vero reliquus littus repetiit, sed confuso admodum ordine, quibusdam citius, aliis vero tardius ad littus venientibus. Qui igitur absque vlla cunctatione strenue progressi fuerant, vitam suam conseruarunt, reliquis, qui in itinere adhuc erant, contrucidatis & interfectis, ita vt pauci misere admodum vulnerati ad naues postmodo relati fuerint. *Viceadmiralis cum multo populo interficitur.*

Conturbati hoc tam repentino suorum interitu, qui in nauib. erant Hollandi, nesciebant quid cogitarent, neque enim Regis in *Candy* voluntate & mandato hanc factam fuisse lanienam credere poterant, sed errore forsitan populi, vel alia quadam ex causa, itaque magno tenebantur desiderio cognoscendi, quid de Viceadmirali & aliis, qui cum Rege permanserant, factum esset, itaque sequenti die puerum quendam in Insula ista natum cum literis in terram deposuerunt, cum præsertim spem adhuc de vita Viceadmiralis haberent, sed & Hollandi aliqui cum Scapha *Sepis Hollandicæ* in terram aduecti sunt, vt quomodo res se haberent, cognoscerent. Interea autem Legatus Regis in *Achin* cum duobus sociis suis ad littus procedens vexillum pacis proferebat, literasque Hollandis è longinquo spectandas exhibebat, qui viso eo aduecti statim cum Scapha epistolam cupide acceperunt. Scripta autem illa erat lingua Lusitanica nomine Regis in *Candy*, continebatque lamentabilem tristissimæ istius tragœdiæ historiam, qua Viceadmiralis, & qui cum eo fuerant, omnes trucidati occubuerant, cuius quidem causam Rex Viceadmirali imputans, eam dicebat fuisse, quod vehementius paulo apud Regem instando vti ad *Rex in Candy factum suum excusat.*

naues ſuas ſecũ proueheretur, in proditionis ſuſpicionem manifeſte incidiſſet. Significabat igitur Rex Hollandis, ſi amicitiam ſuam retinere vellent, gratum id ſibi futurum, ſin vero bellum & arma expeterent, ſusque deque ſe laturum, dummodo reſponſum mature remitterent, Luſitanica lingua ſcriptum, quod nemo eſſet, qui legere Hollandicam linguam poſſet. Legatus quidem ex *Achin* affirmare fere non poterat, an Viceadmiralis cum ſociis ſuis in viuis adhuc eſſet; propterea quod ipſemet etiam exorto hoc tumultu, in fugam conuerſus ſeſe inter dumeta in ſylua proxima occultaſſet. Alii vero factum hoc ita commemorabant, quod dicerent, Viceadmiralem quamprimum ad Regem veniſſet, amice rogaſſe, vti ſecũ ad littus progredi, nauesque porro ſuas contẽplari ne grauaretur, cui Rex reſpondiſſet, ſibi quidem id eo die libitum non eſſe, ſequenti vero die ſe ad littus progreſſurum, & inde ad naues porro Hollandicas commeaturum. Petiiſſet igitur, ſuos vti iam ad naues remitteret, quod ita à Viceadmirali inſidias nullas extimeſcente factum eſſet. Is enim, paucis exceptis Præfectis & Conſiliariis nauticis, quos vna cum ſex vel ſeptem ſclopetariis ſecum retinuerat, ſuis mandauit, vt eodem ordine quo aduenerant, ad naues iterum reuerterentur. At illi poſthabito hoc mandato, in hoſpitiis paſſim remanentibus multis, confuſo admodum & diſtracto itinere, ad littus profecti ſunt.

Viceadmiralis qua ratione cum 49. aliis trucidatus ſit.

Poſtquam autem illi vix abierant, Viceadmiralis ad colloquium cum Rege reuerſus, rogare iterum cœpit, ne ſibi petitionem hanc denegaret, & naues ſuas ſecum aſcendere non grauaretur, daturum ſeſe operam, ne eius eum vnquam pœniteat. Rex igitur commotus nonnihil hac intempeſtiua Viceadmiralis petitione; Petieras, inquit, antea, vt ex *Candy* ad *Vintanam* Ciuitatem venirem, ego vero etiam amplius triginta leucas ad hanc Ciuitatem *Matecalo* in tui gratiam proceſſi, nec hoc ipſo etiamnum contentus, ad littus amplius, & porro ad naues tuas venire me expetis, vt importunitas hæc tua mihi non parum ſuſpicionis moueat. Reſpõdit Viceadmiralis, ſiquidem ad naues venire Rex neget, ſe etiam cum nauibus ſuis ad propugnaculum *Punto di Gallo* velificationem non facturum, ſed conuerſo ſtatim itinere inde receſſurum. Rex igitur iratus *Modeliarem* ſtatim, qui natione Luſitanus erat, Viceadmiralem comprehendere, & cum ſociis ſuis trucidare iuſſit. Hac igitur ratione Viceadmiralis ſtatim cum 49. viris, quos appræhendere adhuc in itinere ſatellites Regii poterant, trucidatus eſt.

Cauſa huius cædis vera.

Sunt qui cædis huius cauſam non reſponſum Viceadmiralis, ſed eam eſſe dicant, quod mandato ſuo non ſatisfactum Rex cognouiſſet: ſcripſerat enim aliquoties ad Viceadmiralem, ſe, ſi Luſitanos captiuos dimitteret, amicum eum amplius non habiturum. Epiſtolæ, quam Rex Luſitanica lingua ad Hollandos ſcripſerat, initium tale erat: Deus heſterna die iudicium iuſtitiamque fecit, idque ex cauſis &c. Ad has literas Hollandi 2. Iunii die reſponderunt, literasque ſuas Regi per mulierem quandam Luſitanicam, quę ante hęc tempora in *Candy* tanquam mancipium ſeſe ſuſtinuerat, Viceadmiralis autem beneficio libertatem aſſecuta fuerat, offerri curarunt.

Mulier hæc cum ad vrbem *Matecalo* veniſſet, audiſſetq; Regem peracta hac cæde, cum ſuis iterum abiiſſe, virum ſtatim aliquem ablegauit, qui literas illas Regi traderet, qui cum in itinere adhuc exiſtens eas accepiſſet, reſponſum ſtatim dedit, ſcripta ad Hollandos epiſtola alia, cuius tale

exordium

exordium erat: Deus iuſtitiam adminiſtrat illis, qui iuſta operantur, & iuſte ſecum agi expetunt.

Tertio Iunii die Hollandi quidam cum Scapha *Sepis Hollandicæ* ad terram aduecti ſunt quæſitum, an Hollandorum forſitan aliquis adhuc in viuis eſſet, vt nimirum ope ſua eum ſubleuarent, & ad naues transferrent.

Hollandi aliquot vulneratos in littore accipiunt.

Videntes autem in littore aliquem veſtibus omnino nudatum, eum ſtatim in Scapham ſuam receperunt. Erat hic miniſter nauticus ad nauem *Vliſsingam* pertinens, vulnera corpori inflicta multa habebat, dicebatque, ſe in proximo pago per duas noctes inter trucidatos pro mortuo iacuiſſe, iam vero, veſtimentis omnibus nudatum, ſtoreęque impoſitum à duobus nocturno tempore ad littus prolatum eſſe, qui ne agnoſcerentur, ſeſe ſtatim in pedes conieciſſent. Sed & miniſtrum nauticum alium paulo poſt inuenerunt, qui grauiter vulneratus in aquam deſcenderat, & in ſyluis ſe hucuſq; detinuerat. Circa veſperam tres adhuc perſonæ ad Legatum Regis in Achin ad naues translatæ ſunt, quemadmodum & mulier illa Luſitanica, quam ad Regem cum literis ablegatam fuiſſe diximus. Afferebat autem illa literas à Rege, ex quibus Hollandi triſtiſſimæ huius tragœdiæ & cædis ſeriem ordine perceperunt, cuius quidem cauſam Rex vni Viceadmirali omnem imputans, quandoquidem, inquit, ad 30. miliaria ex *Candy* ad *Matecalò* vſque profectus, cum Viceadmirali veſtro de oppugnandis commode Luſitanis colloquium inſtitueram, ille id ſolum omnibus viribus agere viſus eſt, vt me ad littus, & inde porro ad naues traduceret, proditionem proculdubio molitus, quam Deus quidem inultam habere noluerit.

Hollandi literas à Rege in Candy accipiunt.

Faciebat autem inter alia etiam mentionem nauium, quas Hollandi Luſitanis eripuerant, dicebatq; ſperaſſe ſe omnino fore, vt naues illas cum Luſitanis ſibi offerrēt, qui vero Luſitanos illos omnes ſaluos & incolumes cum duabus nauibus à ſe dimiſiſſent, quod quidem amicos ſuos non decuerit. Addebat porro, ſi impoſterum amicitiam ſecum colere vellent, ſibi id gratum futurum, ſin minus, facerent quicquid vellent, per ſe quidem ipſis permiſſum eſſe debere.

Caſus hic tam inopinatus, quo non iacturam ſolum tot pręſtantiſſimorum virorum fecerant, ſed omni etiam ſpe commodi alicuius in Inſula iſta percipiendi exciderant, grauis ipſis admodum & intolerabilis accidit.

Hollandi alium Viceadmiralem eligunt.

Verum enimuero cum iam de morte Viceadmiralis ſatis certi & confirmati eſſent, 4. ſtatim Iunii die Iacobum Petri Enchuſanum, in locum Viceadmiralis, communibus votis & ſuffragiis elegerunt, eumque ex naui Enchuſia ad nauem Zirichſeam tranſtulerunt.

Circa veſperam eius diei adhuc vnum grauiter admodum vulneratum ad naues traduxerunt. Sequenti vero die Legatus Regis in *Achin* vna cum tribus Achienſibus nauem Viceadmiralis ingreſſus eſt.

6. Iunii petiit Rex in *Matecalo*, vt aliqui ex nauibus ad ſe venirent, habere enim ſe, quod cum ipſis loqueretur. Circa meridiem igitur aliqui cum Scapha ad littus progreſſi duos à Rege obſides acceperunt, & contra duos ex nauibus in terram depoſuerunt, qui *Matecalo* verſus euntes ligones ſecum ſumpſerunt, vt ſi quos trucidatos hinc inde adhuc inuenirent, in terram eos ſepelirent.

Rex in Matecalo se corā Hollandis excusat.

Sequente autem die cum duo isti à Rege in *Matecalo* ad littus iterum accessissent, signumque de recipiendis sese dedissent, Hollandi obsidibus in terram iterum depositis, suas ad naues traduxerunt. Hi cum ad naues venissent, Regem in *Matecalo* dicebant, sese valde excusasse ob factum illud à Rege in *Candy* perpetratum, dixisseque, se dolere admodum Hollandorum vicem, non posse autem factum hoc infectum reddere, & quandoquidem subditi sui omnes innocentes essent, omniaque à ministris Regis in *Candy* facta & perpetrata fuissent, petiisse eum, ne quod erga suos subditos conciperent odium: paratum enim sese etiamnum omnem ipsis beneuolentiam, quacunque ratione posset, declarare. Hanc excusationem Hollandi quidem accipiebant, fidem tamen ei per omnia habere non poterant. Itaque cum 9. Iunii die intelligerent, esse adhuc vnum in *Matecalo* grauiter vulneratum, mittebant aliquem cum muneribus quibusdam ad Regem, vt vulneratum illum abduceret, obside interim aliquo in naui retento. Reuersus autem ille 11. Iunii die, vulneratum illum adduxit, veniente simul cum eo aliquo ad Achinensem Legatum pertinente, itemque adhuc altero, quem *Arache*, hoc est, Præfectum siue Capitaneum vocant, is annulum aliquem aureum gemmis aliquot nitentem attulit, Regemque hoc munere ornatum nouum Viceadmiralem velle asseruit.

Deliberatio Hollandorū de itinere im posterum constituēdo.

Interea Hollandi habito consilio decreuerunt, nauem vnam, nempe *Anserem*, versus *Bandam* ablegare, vt naues illas quæ in portu isto hærebant, de hoc infortunio edoceret, & vti vecturam suam isthic loci quærerent, moneret. Duæ naues aliæ, *Stella* nempe & *Vlissinga*, debebant *Achin* versus velificationem instituere, vt vecturam suam ibi acciperent. Adiungebatur autem his duabus nauibus *Sepes Hollandica*, vt eo tutiores progredi possent, siquidem de *Andrea* quodam *Furtado* audierant, eum, vbi ventus faueret, ex *Malaca* classem ad portum in *Achin* ducturum. Cæterum Viceadmiralis cum *Concordia* naui sua, item duabus reliquis, *Hollandia* nempe & *Celoce*, debebant *Negopatan* versus, atque inde versus *Bengalam*, prout datura se ipsis occasio esset, velificationem facere. Cæterum Rex 13. Iunii tres apros, duosque ceruos ad naues misit. 14. autem *Arache* quidam cum quodam grandioris iam ætatis viro linguæ Lusitanicæ perito, & aliquo ad societatem Achinensis Legati pertinente, ad Viceadmiralem accesserunt, gallinas aliquot cum Zibethi modico à Rege ei afferentes, qui eodem adhuc die domum iterum reuersi sunt. 15. similiter ceruum à Rege acceperunt. 16. autem Germanus quidam ex *Candy* cum literis à Rege aduenit; quibus ille sese modis omnibus excusare ob perpetratum illud factum suum nitebatur. Expetens autem denuo familiaritatem Hollandorum, iurabat per Deum animamque, & liberos suos, vti fides sibi haberetur, & vir aliquis ad se in *Candy* mitteretur, qui Cinnamum & piper collectum videret, addita affirmatione, se, siquidem auxilio Hollandorum frui in expugnatione propugnaculorum *Gallo* & *Columbo* posset, promissis suis per omnia staturum & satisfacturum esse.

Literas à Rege in Candy accipiunt.

Hollandi ad literas Regis in Candy respondent.

Acceptis hisce literis non consultum putabant, etiamnum ab Insula hac discedere, & locum istum tam facile deserere, quamuis exiguam spem haberent hac quidem vice commodum suum ibi promouendi. Vt igitur extrema quæque tentarent, visum est iuuenem quendam Iacobum Cornelium nomine ex naui, quæ *Sepes Hollandica* dicitur, versus *Candy* ablegare, cum instructione & literis ad Regem, quarum is sensus erat, quod nimirum

nimirum Rex, quicquid paratum haberet Cinnami & Piperis, ad littus transferri curare deberet, additis ministris quibusdam, cum quibus contrahere possent: se enim paratos esse, quicquid afferretur, vel præsenti pecunia redimere, vel pro mercibus aliis permutare, cæterum amicitiam eius se non reiecturos.

Quod autem ad expugnationem Castellorum *Gallo* & *Columbo* attineret, non habere sese naues amplius omnes coniunctas, sed quasdam iam ex portu illo discessisse, vti ad Admiralem suum & naues reliquas, quæ hinc inde in mari hærerent, quæ accidissent, referrent, posse tamen id alia occasione fieri, vbi naues iterum aliquę ad portum istum conuenissent, quarum opera difficile non futurum sit Castella ista expugnata ad manus Regis tradere. 17. Iunii appulit ibi nauis quædam *Arnecam* vehens, quę ex *Bellinga*, loco quatuor leucas Septentrionem versus à *Punto di Gallo* distante, adueniens, versus *Negopatan* velificationem instituere decreuerat. Cum igitur Hollandi Æthiopes adhuc aliquos ex naui Lusitanica ereptos secum haberent, & vero illi *Negopatan* versus deferri peterent, Hollandi eos in nauē illam exposuerunt. Fuerat nauis illa littori nimis vicina, itaq; cum Nauarchus eius in ære Regis adhuc esset, deposito velo Nauarchum illum in custodiam adduci curauerat, quod videntes Æthiopes illi ad Hollandos iterum reuersi sunt, nauis tamen illa post dies pauculos inde soluens discessit.

Prędictus iuuenis Iacobus Cornelius 19. huius vna cum Germano illo, qui à Rege in *Candy* ad naues missus fuerat, iter ingressus est, Legato Regis in *Achin* eum comitante, vt dimissionem à Rege in *Candy* impetraret. *Accipiunt adhuc duas literas à Rege in Candy.*

Eodem autem die paulo post eorum discessum duo alii à Rege in *Candy* ad naues Hollandorum venientes vehementissime instabant, vti virum aliquem ad Regem mitterent Literæ vero quas habebant à Rege ipso subscriptæ erant peregrino admodum charactere & modo, quo in subscribendo vti eum solere, Hollandi non ignorabant. 20. Iunii literas accipiebant à prædicto Iacobo Cornelio, qui ex *Matecalo* scribens, iter sese sequenti primum die ingressurum ostendit. Circa vesperam duę naues, *Stella* nempe & *Vlissinga*, versus *Achin*, nauis vero tertia, *Anser* dicta, versus *Bandam* velificationem instituerunt. Quod ad reliquas attinet, iter suum propter literas & petitionem Regis in *Candy* differre in tempus aliud coactæ sunt. Remanserunt igitur ibi *Zirikfee, Hollandia* & *Sepes Hollandica* cum Celoce, donec quid de mercibus promissis sperare deberent, animaduerterent, idque eo magis, quod Legatus Regis in *Achin* adhuc abesset, qui impetrata dimissione rediturum sese, & cum naui vna in patriam abiturum promiserat, quem modis omnibus expectandum censebant. Interea vero Hollandi de aqua recenti conuehenda solliciti quotidie cum Scapha sua ad littus excurrebāt, vti gallinas, oua, *Bonanas*, *Coquos*, & alia, quæ magna copia ibi prostabant, pro mercibus aliis permutarent. Erant autem sclopetis & armis aliis probe instructi, & aduersus omnem iniuriam satis parati, cum parum sibi inuicem ab vtraque parte fiderent amplius. Non parum igitur commeatus hoc sequenti quatriduo acquisiuerunt, sed & 28. huius ceruum rursus à Rege in *Matecalo* missum acceperunt. Et cum 29. Iunii viderent ingentem fructuum & gallinarum copiam in littore rursus venalem prostare, scapham quidem ingressi sunt, vt ad littus aduherentur, verum tempestatib. & ventis impediti, redire ad naues re infecta coacti sunt.

Petuntur ab Hollandis saluiconductus literæ.

Septimo Iulii venit quidam *Arache* ex *Matecalo* ad Viceadmiralem, petiitque saluiconductus literas pro duobus nauigiis, quæ ex *Bellingha* ad portum istum Cinnamo & pipere onerata aduehere volebant, vti aromata ista sua Hollandis diuenderent, quorum specimen secum afferebant.

Acceptis igitur literis illis Lusitanica lingua exaratis, ad littus iterum reuersus est. Sequenti die tres viri cum gallinis & fructibus aliquot aduecti affirmabant, tres naues Hollandicas ad *Iaffanapatan* hærere, siquidem vnus eorum ex *Dorto* nuper terra aduenerat. Cum igitur constituissent cum *Champan* siue nauigio aliquo, quod in fluuio *Poligamme* haberent, versus *Iaffanapatan* velificationem intendere, expetebant saluiconductus literas, ne vbi eo venissent, à nauibus illis forsitan læderentur. Non poterant persuaderi Hollandi, naues suas ibi subsistere, simulabant tamen sese illud credere, & querebant ex illis, an eorum aliquis cum naui, quam ad locum istum ablegaturi essent, proficisci vellet, se hoc ipsi remuneraturos, & literas, quas peterent, statim daturos. Promittebant igitur illud, se facturos, sed Regi prius in *Matecalo* id significandum esse dicebant, quo facto, sequenti statim die sese reuersuros, & in naui aliquem, qui cum Hollandis iret, relicturos affirmabant.

Verum enimuero cum literas illas accepissent de reditu suo non cogitarunt amplius. 9. Iulii dicebatur ipsis de 5. *Champan* siue nauigiis, quæ in fluuio *Poligamme* subsisterent, & partim Elephantis, partim vero ebore & *Aracca* onerata essent. Hoc vero similiter credere non poterant, non enim videbatur ipsis verisimile, quod tot naues in isto fluuio hærere deberent, licet iam antea audiuissent, Regem in *Candy* solere quotannis aliquot nauigia Elephantis & ebore onerata quibusdam Regibus, in littore *Choromandel* habitantibus, dono mittere. Constituerunt tamen Celocem, cui nomen erat *Sphæra mundi*, cum Scapha *Sepis Hollandicæ* ad locum illum mittere, vt si forsitan nauigia quædam in fluuio isto essent, illa in portum *Matecalo* secum abducerent, vt ita populus suus eo citius ex *Candy* iterum dimitteretur.

Nauigium aliquod Cinnamum vehens ad Hollandos venit.

Circa vesperam autem viso meridiem versus nauigio aliquo, illud ad portum traduxerunt. Quo cum venissent, Viceadmiralis quidem accersitos ad se præcipuos quosque interrogauit, qui essent & vnde venirent, qui saluiconductus literas, quas *Arache* 7. Iulii impetrauerat, proferentes, se ex *Mattone*, quod quinque miliaribus à *Punto di Gallo*, vnum vero miliare à *Bellingham* abest, venire, & Cinnami fere 8000. libras vehere, quod *Panico Mudeliar*, sic enim Primatem istius loci vocabant, in *Matecalo* vendendum misisset.

Dicebant autem porro, non vsq; adeo venditionem eius Cinnami, quod parum esset, quam familiaritatem & notitiam Hollandorum expetere, cum quibus amicitiam cõtrahere constituissent, addita excusatione, quod nimirum eorum, quæ à Rege in *Candy* facta fuerant, innocẽtes plane essent. Affirmabãt porro & hoc, quod *Panico Mudeliar* ad sex vel septem millia armatorum in ditione sua numeraret, qui Regem quidem in *Candy* non timerent. Quare si Hollandis placeret cum nauibus suis ad Castellum *Punto di Gallo* applicare, & oppugnationem eius tentare, paratum esse *Panico Mudeliar*, terra ipsis auxilio venire. Sperare enim sese, cum vix triginta Lusitani in Castello isto iam numerarentur, illud superatu difficile non futurum.

Hollan-

Hollandi vero non poterant hoc ipsum credere, sed verebantur, id eos à Rege in *Candy* per insidias subornatos esse, vt mentem Hollandorum pertentarent. Itaque cum Cinnamum illud emissent, homines illos à se dimiserunt, qui ad littus applicantes nauigium in terram protraxerunt, terrestri itinere *Matorem* petituri. Instabant quidem vt Hollandi aliquem sibi adiungerent, qui cum *Panico Mudeliar* loqueretur, verum id Hollandis non consultum visum est. Hoc *Matore Bellingham* cum vniuerso isto tractu, paulo ante sex vel septem menses in Lusitanorum adhuc potestate fuit, quos incolę quidem per seditionem inde expulerunt, & versus *Punto di Gallo* & *Columbo* propugnacula remiserunt, quod quidem propter aduentum nauium suarum potissimum factum fuisse Hollandi putarunt.

Cæterum 10. Iulii Celocem *Sphæram mundi* cum Scapha *Sepis Hollandica* versus fluuium *Poligamme* ablegarunt, & Viceadmiralis statim sequenti die cum scapha sua aliquos misit, qui quamprimum ex Celoce cognoscerent, quæ ratio eius fluuii esset, qui altero die reuersi, retulerunt, fluuium hunc leucas sex à portu abesse, & Celocem quidem cum Scapha fauces illas seu ingressum eius occupasse, ita vt nemo exire inde sine præscitu eorum posset. Locuti præterea fuerant cum quibusdam eius viciniæ hominibus, qui non nisi vnum *Champan* siue nauigium in fluuio isto hærere affirmarunt, pro quo Saluiconductus literæ ab Hollandis expetitæ fuissent. Sed & hoc affirmabant, tres naues Hollandicas ad *Iaffanapatan* subsistere, quod quidem indies magis magisque confirmabatur. Interea vero Hollandi in portu ad *Matecalo* quiescentes nihil efficiebant, præterquam quod reditum suorum ex *Candy* expectarent. Cum enim illi reditum non, prout sperauerant, maturarent, cogitare non poterant, quam moræ istius causam haberent, cum præsertim nullas etiam neque à suis, neque ab Achinensibus literas acciperent. Quia autem non videbatur consultum, inde priusquā socios suos recepissent plane discedere, & vero Celocem habebant cum Scapha maiori ad fauces siue ingressum fluuii *Poligamme* hærentem, constituerunt nauem alteram versus *Iaffanapatan* ablegare, visum quales ibi naues hærerent, itaq; 13. Iulii Scapham Viceadmiralis eo cum armatis aliquot expediuerunt.

Mittunt Celocem suam cum Scapha ad fluuium Poligamme.

Porro cum tempus præteriret, & ipsi iam per tres menses in portu illo hærerent, & à tempore illo, quo ab Admirali suo discesserant, quod iam ante septem menses factum fuerat, nullum ab eo nuncium percepissent, decreuerūt, hac quidē vice nullam ad littus *Choromandel* & sinum *Bengalæ* nauem mittere, sed simul atque inde soluerent, *Achin* versus abire, vt quid ibi noui ex *Bantam* haberetur, cognoscerent. Sed & eodem adhuc die *Arache* quidam ad Viceadmiralem veniens, salui conductus literas pro duobus *Champan* siue nauigiis, quæ ex *Matore* vel aliis vicinis locis ad portum istum cum Cinnamo, Pipere & *Arecca* ventura dicebantur, quas quidem ipse facili negotio impetrauit. Dicebat autem porro, Regem in *Matecalo* postero die cum *Tirecoy* locum quendam leucas tres vel quatuor inde meridiem versus distantem, profecturum, vbi solemne Festum in honorem *Pagode* siue idoli cuiusdam eius loci per nouem vel decem dies vsque ad tempora plenilunii celebrandum esset, ad cuius quidem Festi solemnitatem ingens multiudo virorum mulierumque & liberorum confluere soleret.

Rex in Matecalo ad Festum aliquod proficiscitur.

Admonebat autem Hollandos ea de re, vt scirent, parum interea cibariorum fructuumq; ad littus perlatum iri.

Reuersa

Hollandi literas à Iacobo Cornelio accipiũt.

Reuersa est autem 15. Iulii Scapha illa, quæ cum celoce ad fauces fluuii *Poligamme* substiterat, celoce quidem *Iaffanapatan* versus cum scapha altera porro progrediente. Cernebant autem 20. Iulii in littore vexillum aliquod album, vnde ingens percipiebant gaudium, fore vt literas & nuncium aliquod ex *Candy* acciperent. Missis igitur ad littus duabus Scaphis *Arachem* quendam cum viro quodam Germano, literas à Iacobo Cornelio afferente, ad naues adducebant. Cognoscebant autem ex literis illis Hollandi prædictum Iacobum Cornelium, 29. præteriti mensis die in *Candy* vna cum Legato Achiensi aduenisse. Regem vero ibi non offendisse, qui in castris ad *Sytubague*, loco leucas 15. à *Candy*, & 6. à *Columbo* distante, tum fuisset. Coactum igitur eum fuisse, iubente ita & volente Rege, eo excurrere, acceptum autem illi admodum honorifice à Rege fuisse, qui perpetratam in *Matecalo* cædem admodum detestatus, errore & imprudentia eam factam dixisset, audita affirmatione; se summam imposterum fiduciam in Hollandos collocaturum, & primo quoque tempore naues duas cinnamo & pipere oneraturum, siquidem iam aliquot Elephantos destinasset, qui cinnami & piperis *Baren* aliquot ad Hollandos perferrent, qui eius partem ad quotidianos vsus absumerent, partem vero in specimen aliis monstrandum retinerent. Petiisset igitur tandem, vt Hollandi adhuc duos ad se mitterent viros, cum quibus contrahere & pretium constituere posset. Erant hæc, vt Hollandi facile animaduertere poterant, tantum verba & nudæ promissiones ad detinendos ibi Hollandos comparatæ, vt & eorum præsentia Lusitani cohercerentur, & incolæ per proditionem vtilitatis aliquid ab iis perciperent, itaque Hollandi non iudicabant consultum diutius ibi subsistere & moras nectere, sed statuebant quamprimum virum suum ex *Candy* recepissent, cuius aduentum iam quotidie expectabant, velificationem *Achin* versus instituere.

Iacob. Cornelius ex Cãdy reuertitur.

Venit 22. Iulii ad Viceadmiralem aliquis ex Comitatu Iacobi Cornelii, dixitque, se cum illo ante dies octo ex *Candy* iter ingressum esse, reliquisse vero eum in *Vintana*, & iter suum maturare voluisse, vt eo citius de aduentu eius Hollandos edoceret, quod falsum tamen fuisse Hollandi postmodum cognouerunt, siquidem is integro ante Cornelium biduo ex *Candy* Ciuitate egressus fuerat. Sub vesperam autem 24. Iulii Cornelius ille ipsemet ad littus atque inde porro ad Viceadmiralem peruenit, literas Regis afferens, quem in castris ad *Sytubague* reliquerat: iter autem ingressus erat 15. Iulii, adduxitque secum Legatum Regis in *Achin*, qui cum eo apud Regem fuerat, quemadmodum & socios quosdam Legati istius, qui in *Matecalo* remanserant. Erant porro in *Matecalo* octo Elephanti Cinnamum & piper, de quo diximus, ferentes. Literæ autem Regis ad nihil aliud quam inani spe Hollandos lactandos, atque ibi aliquandiu adhuc detinendos comparatæ erant. Sed & eadem vespera Scapha illa cum celoce, quæ *Iaffanapatan* versus excurrerant, reuersæ, nihil sese nauium ibi offendisse, nunciabant.

Legatus Regis in Candy ad Hollandos venit.

Vicesimo quinto post ad naues venit *Arache* cum Legato Regis in *Candy*, & quibusdam ad societatem Legati Regis in *Achin* pertinentibus, qui omnes de Rege in *Candy* multa prædicantes, tantũ enim Cinnami & piperis paratum eum habere dicebant, vt duas naues eo onerare commode posset, duas vero reliquas naues decreuisse eum dicebant ad continentem mittere, vbi vecturam suam facile impetraturæ essent. Instabant autem porro, vt Hollandi aliquos ad *Candy* iterum ablegarent, quib. cum depre-

de precio conuenire & agere Rex posset, qui hoc facto cinnamum & piper ex variis locis vti conueheretur, curaturus esset. At vero Hollandi hoc vti facerent, persuaderi non poterant, idque propterea quod exiguam spem & fiduciam in verbis Regis collocarent, & crebris illis peregrinationibus tempus perdere nollent. Legati isti circa vesperam ad littus iterum aduecti dicebant, se sequenti die reuersuros, & Elephantos aliquot cum vno *Baere* cinnami, & vno *Baere* piperis secum adducturos, quæ aromata Rex Hollandis dono misisset, vt quotidianis vsibus ea adhiberent. Reliqua enim duo *Baere* cinnami & piperis, quæ in specimen à Rege missa erant, in *Matecalo* relinquere volebant, donec inter eos de precio conuenisset, vt ita quod adhuc superesset simul consequerentur.

Ablegarunt eodem tempore Hollandi duas scaphas, vnam Viceadmiralis & alteram *Hollandiæ* nauis versus fluuium *Poligamme*, vt viderent an oryzæ aliquid ibi pro mercibus aliis permutando acquirere possent. Cæterum Legatus ille circa meridiem 26. Iulii vna cum Achiensibus ad naues reuersus, prædictum cinnamum & piper aduexit. Instabat autem etiamnum, vt Hollandos aliquot secum ad Regem remitterent, verum Hollandi id recusantes dicebant, constituisse se prima occasione inde iterum discedere, & ad eiusmodi loca se conferre, vbi sperarent melius sese acceptũ iri. Iubebant igitur Legatos illos sequenti die iterum redire, & literas accipere, quas ad Regem daturi essent. Dicebant Achienses defunctum Viceadmiralem Regi suo in *Achin* promisisse, se pecuniam ipsis commodaturum, qua preciosos aliquot lapides emere possent. Petebant igitur, vt sibi hac in re gratificarentur, & argenti circiter 20. *Cathy* sibi commodarent. Cum autem qui in consilio militari erant, nihil hac de re audiuisse se dicerent, non consultum visum est ipsis pecuniam aliquam concedere, quia tamen non parum sulphuris ex *Achin* secum assumpserant, promittebant ipsis 6. *Baeren* eius concedere, vt Regi in *Candy* illud venderent, & pecunia donec in *Achin* redirent, vterentur. *Hollandi ad Regem in Candy redire recusant.*

Hac igitur promissione contenti ad littus regressi sunt, promittentes se proximo die cum aliquot Elephantis, quibus sulphur illud imponerent, iterum reuersuros esse.

Sequenti igitur die ad naues iterum reuersi Achienses, Hollandis valedixerunt, & literas sibi ad Regem in *Candy* dari petierunt, quas quidem Hollandi ipsis in lingua Lusitanica & Belgica scriptas ipsis tradiderunt, petentes simul Regi significari, quod, si impostertum amicitiam cum Hollandis colere vellet, cinnamum & piper suum omne conuehere deberet, vt quamprimum naues quędam ad portum venturæ essent, de precio cum illis agere, easque onerare suis mercibus posset, faceret autem hoc maiori fide & candore, quam quo erga Viceadmiralem vsus fuisset, alioqui media Hollandis non defutura, quibus factum hoc in eo vlciscerentur. Sic igitur acceptis sex *Baeren* sulphuris circa vesperam ad littus iterum aduecti sunt. Non placebat quidem per omnia Achiensibus, quod non deberent domum cum ipsis redire, verum à Rege nondum dimissi erant, qui, vt ex multis circumstantiis apparebat, pannos aliquot sericos & holosericos sub manibus habebat, ad Regem in *Achin* transmittendos. *Literas postremas ad Regem in Candy scribunt.*

Tradebant igitur Hollandis literas Regi in *Achin* offerendas, atque ita *Matecalo* versus contenderunt, vltimum Vale Hollandis dicentes.

Sic igitur Hollandi vniuersi & singuli circa meridiem eius diei ex portu

Hollandi ex portu Matecalo discedunt.

illo soluentes iuxta littus versus fluuium *Poligamme* cursum suum direxerunt, vt ad scapham suam peruenirent. Cumque vespera iam immineret, & ipsi sex fere leucas emensi essent, anchoras suas ad fauces siue ingressum prædicti fluuii proiecerunt. 29. die scapha nauis *Hollandiæ* ex flumine isto aduecta 600. plus minus *Coquos* afferebat, dicebantque duos eorum fluuium ascendendo vsque ad *Poligamme* profectos fuisse, quorum alter Nigrita erat, ex nauibus Lusitanicis adhuc reliquus, qui sponte sua cum illis permanserat, & tam Lusitanicam quam Malabaricam linguam callebat. Hi duo cum ad scapham reuersi essent, pro certo affirmauerant Regem in *Poligamme* insignem piperis aceruum pro Hollandis coegisse, seq; domum integram pipere repletam suis oculis vidisse. Visum itaque Hollandis est, vnum ex mercatoribus suis cum prædicto Nigrita *Poligamme* versus ad Regem istum ablegare, visum quantum ibi piperis inueniretur. Illis autem terra progressis, reliqui cum scapha ad pagum quendam aduecti, oryzam, gallinas & *Cocos* pro variis mercibus permutando compararunt. 30. die quidam duabus cymbis ad nauem aduecti, piscium aliquantulum afferebant, petentes nauem istam perlustrandi sibi copiam fieri, quod facile obtinuerunt. Similiter vero 31. etiam huius mensis die scapharum, pisces, oryzam, *Coquos*, oua, gallinas, & alia id genus permutanda afferentium, ingens numerus ad nauem illam peruenit.

Paulo post autem Hollandi, qui *Poligammem* ablegati fuerant, cum duabus scaphis reuersi, gratias agebant Deo, quod noctu inde abire sibi licuisset. Nihil quidem secum afferebant, sed & Regi varia munera afferre polliciti fuerant, ne ab eo detinerentur: debebant autem intra 20. dies redire, quod piperis nihil adhuc paratum esset. Adiunxerat autem Hollandis illis *Modeliarem* siue Capitaneum quendam, qui quæ Regi promiserant afferre debebat. Venit autem cum illis adhuc alius *Modeliar* ex pago isto, ad quem Hollandi cum scaphis suis hęrentes oryzam & alia comparauerant, habebatque sibi coniunctos septem ministros, qui omnes peculiari nauigio ad nauem Hollandorum aduecti sunt.

Modeliar ille manipulum auri in laminas dissecti supra caput Viceadmiralis proiecit, & annulum aureum digito eius indidit. Sed & sportulam pipere, & duas ollas melle repletas afferebant, in specimen eius, quod ibi accipere deberent, nec satis prædicare poterant de beneuola Regis erga Hollandos affectione, sperantes ita eo facilius id obtinendi, quod Regi à duobus Hollandis promissum fuerat.

Cæterum Hollandi cum dolum facile animaduerterent, nec quicquã bi se accepturos sperarent, speculo quodam vulgari singulos donatos à se imiserunt. Sed & Æthiopem illum, qui dixerat se domum quandam pipere repletam in *Poligamme* vidisse, illis adiunxerunt, vt pœnas mendacii daret, atque ita tandem circa vesperam inde soluentes versus *Achin* velificationem direxerunt.

Insulæ Zeilon fertilitas

Insula *Zeilon* abundat oryza præfertque fructus varios, nempe *Bonanes*, *Batatas*, *Ananas*, mala aurea, & id genus alia, circa littus quidem non tanta copia est, quanta in locis mediterraneis; illa enim & *Coquos* habent, & gallinas, oua, ceruos, apros, boues & bubalos magna frequentia: verum quod ad boues & bubalos attinet, eos mactare nemini permittitur, vnde Hollandis eos pro pecunia vendere nolebant: piaculum enim & crimen maximum existimant carne eorum vesci, itaque illis tantum ad laborem vtuntur, cumq; sponte sua tandem moriuntur, sepelire eos in terrã solent.

Cin-

Cinnamum optimum in hac Insula prouenit, maxime vero circa castellum *Columbo*. Sed & piper Insula producit melioris notæ. Mittit & ceram & varias gemmas, maxime tamen pyropos siue Rubinos.

Incolæ eius idololatræ sunt, & multa passim idola habent, ipsis *Pagodes* dicta, quæ hominum partim, partim & aliorum animalium speciem referunt, in quorum gratiam varia per annum festa celebrare solent choreis, saltationibus, cantu & variorum instrumentorum strepitu sese oblectantes. Viderunt Hollandi in vrbe *Candy* idola quinque & sex orgyarum, insigni tamen proportione & artificio elaborata, quæ incolæ proceritatem Adami repræsentare dicebant, siquidem longitudo & latitudo pedum respondebat vestigiis Adami, quorum mensuram Rex de monte quodam non procul inde distante in vrbem adduxerat. Continent autem in longitudine septem cum dimidia, in latitudine vero tres cum dimidia spithamas. Existimanturque vestigia esse primi parentis & hominis Adami. Omnia autem hæc idola peculiarem suam potestatem & dominium obtinent, alterum enim frugibus terræ, alterum pluuiis, alterum ventis & tempestatibus, alterum procellis maris, & sic consequenter rebus aliis præsunt, creduntur que potestatem illam à Deo accepisse; non enim negant Deum aliquem esse, à quo omnia creata sunt. Defunctos suos igne comburunt in præsentia suorum *Bramenes* siue sacrificulorum, adhibitis multis ceremoniis. Incedunt nudi pudendis solummodo panno gossypino obuolutis. Qui iuxta mare habitant, videntur esse Malabares, siquidem lingua ea vtuntur, & plerunque auriculas habent pendulas & perforatas, insertis annulis plumbeis, cupreis, aureis, &c. Pueris & puellis appenduntur plerunque annuli plumbei magni ponderis, quo aures eorum pendulæ efficiantur; hoc enim ad pulchritudinem non parum facere arbitrantur. Reges in *Panane*, *Matecalo* & *Poligamme* habitantes, Regem in *Candy* superiorem & Dominum suum agnoscunt, qui quidem iuratus Lusitanorum hostis existit.

Effigies Adami primi parentis.

Cæterum quomodo Rex in *Candy* modernus ad imperium siue regnum hoc peruenerit, eiusmodi relationem Hollandi acceperunt. Ciuitas est *Sitabague*, 15. miliaribus à *Candy*, & sex à *Columbo* distans. Hæc Regem ante annos 30. fere magnæ potentiæ habuit, qui cum illis in *Columbo*, simul & cum Rege in *Candy* bellum gessit. Cum autem expugnata ciuitate *Candy*, regionem omnem sibi subiecisset, Rex eius vna cum infante filiola, & moderno Rege, (qui tum temporis puer adhuc erat, & filius cuiusdam *Modeliar* siue Præfecti) *Manar* versus profugit, patrociniumque Lusitanorum implorauit, qui puerum istum *Goam* translatum baptizarunt, nomine Ioannis de Austria ei imposito. Hinc cum adoleuisset ad castellum *Columbo* translatus, & Præfectus quorundam Æthiopum factus est. Habitabat igitur in propugnaculo isto aliquot annis, donec *Candy* ciuitas & vniuersa ista regio aduersus Regem in *Sitabague* insurgeret. Lusitani enim occasionem istam sibi non negligendam arbitrabantur, cumque Rex in *Candy* defunctus esset, mittebant armatos aliquot incolis in *Candy* in auxilium, & inter alios etiam quamuis ægre admodum, hunc Ioannem de Austria. Hic cum in ciuitatem istam venisset, ab omnibus in honore habitus est, quæ causa fuit, quod cogitare inciperet, quomodo sese ipsum tandem totius regionis Dominum faceret.

Rex in Candy quomodo ad imperium peruenerit.

Cœpit igitur Lusitanos negligere, & potentiam viresque suas aduersus Regem in *Sitabague* conuertere, quem tum temporis etiam deuicit, seque

Regem in *Candy* constituit. Post annos aliquot Lusitani cum multis copiis regionem istam inuadentes, defuncti Regis filiam baptizatam interim & Christianam factam, tanquam veram regni heredem secum adduxerunt, sperantes se hac ratione regnum istud recuperaturos, & ad se facile translaturos.

Occupabant autem ex improuiso statim ciuitatem *Candy*, itaque Ioannes hic arrepta fuga in montibus & in solitudine sese aliquandiu continere coactus est. Reparato autem statim exercitu, ex improuiso Lusitanos adortus omnes fere trucidauit, paucis admodum per fugam elapsis. Recuperata postmodum vrbe, relictam ibi Regis filiam vxorem accepit. Cæterum bellum cum Lusitanis ab eo tempore semper continuauit; suscepit autem ex ea filium & filiam legitimos imposterum regni heredes.

Perueniunt ad portum Achin.

Cæterum vt ad cœptam Hollandorum nauigationem reuertamur, postquam illi vltimo Iulii die ex fluuio *Poligamme* soluentes, cursum suum versus Euroaustrum direxissent, cœpit eis 9. Augusti die terra regni *Achin* apparere, in cuius portum circa vesperam eius diei delati sunt, inuenientes ibi duas suas naues, *Stellam* nempe & *Vlissingam*, vna cum tribus aliis, quæ ex *Tanassarim* & littore *Pegu* eo venerant. Ceterum Celocem *Psittacum*, quæ 30. Iulii ex *Bantam* ibi appulerat, septimo Augusti die versus *Pedir* emptum oryzam abiisse cognouerunt.

Attulerat autem literas ab Admirali 14. Iunii scriptas, qui 19. Aprilis ad *Bantam* appulerat, tantumque ibi piperis inuenerat, vt speraret primo quoque tempore tres naues, *Mauritium, Virginem Enchusiam* & *Concordiam* oneratas domum remittere. Duæ naues aliæ, *Nassouia* nempe & *Erasmus*, iter suum *Chinam* versus instituerant, *Roterodamum* nauis versus *Iortan* ad littus *Iauæ* progressa erat, vbi vecturam suam se accepturam sperauerat. Reliquæ duæ naues, nempe *Sol* & *Luna* cum primo *Monson*, Insulas *Molucas* petere debebant. Cum igitur ex literis illis perspicerent, nullas naues hac quidem vice *Patanen* destinatas esse, non negligendam sibi hanc occasionem arbitrati, 10. Augusti die scapham versus *Pedir* ablegarunt, quæ Celocem ad se venire quamprimum iuberet.

Proficiscuntur ad Regē in Achin.

Vndecimo Augusti die duo Hollandi in vrbem profecti sunt, vt literas, quas in *Zeilon* acceperant, Regi per Secretarium *Pongolo Corquon* offerri curarent, cum quo Elephanto quidem insidentes ad aulam regiam porro profecti sunt, assumptis quibusdam honorariis Regi offerendis. Cum autem ad portam aulæ regiæ venirent, *Pongolo Corquon* quidem ad Regem ingressus est, ipsi autem subsistentes ibi, *Chappe* expectabant, quo adueniente ipsi etiam ingressi sunt. Inueniebant autem Regem ex fenestra more solito prospicientem, cumque honorem ei exhibuissent, & munera sua ei obtulissent, in tabulato ante Regem consederunt, pedibus in crucem sartorum instar complicatis. Apponebantur ipsis statim cibi & fructus varii, cumque Secretarius etiam locum suum occupasset, & literas Regi obtulisset, cognouit ex illis statum suorum Legatorum: nam quod ad infortunium in *Zeilon* perpessum & Viceadmiralis mortem attinet, eam iam antea cognouerat, cum nimirum *Stella* & *Vlissinga* ibi appulissent. Tristem igitur sese exhibebat, & dolere sese eius vicem verbis plurimis testabatur. Cæterum cum duas naues pipere onerare antea promisisset, & vero Hollandi cognouissent, eum pro vnoquolibet *Baere* idem precium, quod ab Anglis & Gallis acceperat, nempe 30. *Taere* postulare, quærebant ex eo, quæ tandem sententia eius esset, & quanti piper suum vendere vellet, vt

respon-

responsum sociis suis afferrent, qui cum nauibus potius omnibus, quam tanti piper illud emerent, inde abituri essent, siquidem ne dimidium quidem pecuniæ, quam Rex requirebat, numerare pro pipere isto constituissent.

Respondebat igitur, dolere se quod abitum & discessum pararent, sed minoris tamen piper suum vendere non posse. Quare Hollandi Regi valedicentes abierunt. Porta autem egressi, duos Elephantos inueniebant, à Rege ibi constitutos, quorum opera ad ædificium Hollandis concessum deferrentur, vbi cum per noctem illam quieuissent, ad naues postero die reuersi sunt.

Sequenti die, qui 13. Augusti erat, mercatorio munere in naui *Hollandia* fungens cum Nicolao Simone in terram aduectus, munera quædam Regi iuniori obtulit, circaque vesperam ad naues iterum reuersus est. 14. autem Celocem ex *Pedir* receperunt. 15. porro Viceadmiralis ipsemet vna cum duobus aliis ad Regem profectus est, vt ei valedicerent. In aulam autem venientes Regem loco consueto sedentem inuenerunt, cumque honorem ei exhibuissent, sedem suam ipsimet etiam ex opposito Regis in tabulato quodam nonnihil eleuato occuparunt. Ad latus autem Hollandorum primarii regni istius proceres considebant, apponebanturque ipsis statim cibi & fructus varii. Postmodo cum surrexissent, loqui cum Rege per interpretem cœperunt. Dicebant autem constituisse se cum nauibus simul omnibus inde abire, gratias igitur Regi quam maximas sese agere pro tam amica erga se & populum suum affectione, & rogare vti in ea perseueraret, eamque porro exhiberet tam iis, quos ibi relinquere vellent, quam qui imposterum eo venturi essent: ad se enim quod attineret, paratos esse omnia officia summa fide ei vicissim exhibere. Rex respondebat contra, se satis superque confirmatum de amicitia & familiaritate Hollandorũ esse, & propterea beatum sese prædicare, quod cum Principe ipsorum familiaritatem sibi contrahere licuisset, & se eam etiam sancte imposterum conseruaturum. Postremo cum ei Hollandi significassent, quasdam forsitan naues per fretum *Malaccæ* iter facturas, expetebat modis omnibus vti *Champan* siue nauigia quædam sua secum ire permitterent, vel saltem aliquot suorum ministrorum in naues suas acciperent, qui iter Hollandis monstrarent ad portum *Daru*, in freto *Malaccæ* ad terram *Sumatra* situm. Cum enim hostes sui ibi habitarent, velle sese dicebat, vt tantummodo seipsis conspiciendos darent, quo viderent illi, qualium populorum amicitia Rex iam vteretur. Hollandi autem excusabant sese quantum poterant, dicentes se ignorare quali tempestate vsuri essent. Quod si peruenturi ad loca illa essent, etiam sine Achiensium præsentia se populo isti testatum facturos, quod Rex amicitia sua vteretur.

Valedicunt Regi in Achin.

His igitur acquiescens Rex, amice eos à se dimisit, Viceadmirali vero sacculum, in quo 10. libræ auri, quæ 26. Ioachimicos faciunt, donauit, iussitque eum *Betele* pro pecunia ista emere, & tandem amice admodum ab inuicem discesserunt.

Circa meridiem 16. ad Regem iuniorem, vt & ipsum salutarent, profecti sunt. Hunc reperiebant in patenti domus suæ area, loco nonnihil eleuato, & tapetibus storeisque vndique contecto loco sedentem, & multis vndique mulieribus, quæ gladiis, sclopetis, hastisque, & id genus aliis armis armatæ erant, stipatum.

Hollandi etiam iuniori Regi valedicunt.

Hollandi igitur cum honorem ei consueto more exhibuissent, & munera sua obtulissent, in terram tapetibus stratam ante conspectum eius cōsederunt. Rex autem postquam salutantes resalutasset, cibos eis & fructus varios apponi curauit, idque præter consuetudinem suam, qui potu aduentantes plus quam cibo exhilarare consueuerat; cum & ipse potu illo suo, quem *Arecka* vocant, valde delectetur. Hac autem vice nec cibi nec potus quicquam deerat, ferculum enim alterum post alterum afferri curabat, & *Arecka* eos non parum exhilarabat, poculum vnum atque alterum ipsis præbibendo. Cum iam ei significarent se constituisse, inde cum omnibus nauibus discedere, & iam gratias ei pro exhibitis sibi beneficiis agerent, cogebantur noua adhuc fercula mox afferenda expectare, & potu sese interim oblectare. Quærebat autem ex illis, annon per dies adhuc tres vel quatuor ibi commorari luberet; scaphas enim aliquot sese adornare velle, quarum ductu ad portum *Daru* pertingerent, eo fine, cuius Rex senior mentionem quoque fecerat? Verum cum Hollandi se prolixe excusarent, dicerentque ventorum sibi commoditatem obseruandam esse, acquiescens sermonibus eorum vestem aliquam Viceadmirali donabat, eumque cum sociis suis amice à se dimittebat. Cum autem aula egressi essent, expectabant eos duo Elephanti, quorum opera ad Hospitium Hollandorum deducerentur, qui eadem adhuc vespera ad naues reuersi sunt.

Hollandi ex portu in Achin discedunt.

Cæterum cum Regi valedixissent Hollandi, 17. die, decreuerunt tres naues, *Hollandiam* nempe, *Stellam* & *Vlissingam*, versus *Bantam* dimittere, *Sepes* vero *Hollandica* debebat vna cum celoce *Psittaco*, per fretum *Malacca* & *Syncapura*, versus *Patanem* iter suum dirigere. Itaque de conuehenda recenti aqua laboratum, iamque inter eos decretum est, vt sex eorum ibi relinquerentur, qui merces aliquot diuenderent, & debita hinc inde exigerent. Sic igitur tandem 24. Augusti *Sepes Hollandica* cum naui altera *Zirickzee*, ex portu illo soluentes abierunt. Reliquæ vero diem vnum atque alterum ibi adhuc subsistere, & aduentum Cornelii Speccii mercatoris, qui versus *Bantam* cum illis proficisceretur, expectare coactæ sunt. 26. die Capitaneus siue Præfectus *Sepis Hollandicæ*, Henricus Hockius nomine, mortuus est, cumq; circa vesperam in mare dimitteretur, omnium vtriusq; nauis, quemadmodum etiam celocis tormentorum displosio tribus vicibus facta est. Sequentibus vero vsque ad Septembrem diebus parum vel nihil effectum est.

Expugnant nauem quandam Lusitanicam.

Quarto autem Septembris multas primo Insulas, deinde nauem aliquam ad duo miliaria à se remotam viderunt. Cursum igitur statim ad persequendam eam direxerunt, sperantes fore vti gubernatorem aliquem nauis in ea inuenirent. Cæterum cum post horas quatuor eam assecuti, vela contrahere & deditionem facere coegissent, viderunt ex *Negapatan* eam venisse, vbi 19. soluens Malaccam versus iter direxerat. Erat autem oryza onusta, pertinebatque ad Lusitanos, capacitatem 70. onerum obtinens. Præfecto eius nomen erat *Antonio Brochado*, quem Hollandi vna cum tribus Lusitanis ad suas naues transtulerunt. *Marinarijs* vero & reliquo populo, qui cum vxoribus liberisque in naui ista erant, imperarunt, vt cum naui illa secum progrederentur. Erant autem omnes Nigritæ, incedentesque cum Hollandis cursum suum in Euroaustrum dirigebant versus insulas *Pulo Sambilam*, à quibus leucas adhuc octo vel nouem abesse se dicebant.

Cæterum Capitaneum Antonium Brochado vna cum Rectore nauis in

in Celocem expoſuerunt, vt præcedentes nauibus aliis viam monſtrarēt. 5. Septembris Inſulam quandam Auſtrum verſus, tribus à ſeſe miliaribus diſtantem, viderunt, quæ vocatur *Isle das Iarras*. Continebant autem ſeſe magna vi in littore, vt Inſulas *Pulo Sambilam*, quatuor vel quinq; adhuc leucas à ſe diſtantes, prȩterirent. Poſt meridiem cōſultum ipſis viſum eſt curſum ſuum verſus Inſulas *Daru* dirigere. Proiiciebant autē anchoras veſperi ad orgyas 40. aberantq; ab auſtraliſſima *Pulo Sambilam* Inſula leucas duas. Inſula autem *Des Iarras* adhuc 4. leucas ab eis diſtabat, habentes eleuationem 4. graduum. 6. Septembris, ingruentibus procellis & tempeſtatibus maximis, cogebantur ibi ſubſiſtere vſque ad 9. Septembris diem, interea vero oryzæ partem aliquam pro neceſſitate ſua ex naui Luſitanica Hollandi capiebant. 9. autem die vnanimi conſenſu decretum eſt nauigationem verſus Inſulam *Daru* dirigere. Iniungebant igitur Nigritis, qui in intercepta Luſitanica naui erant, ne ante octiduum inde diſcederent, quod Luſitanos illos quatuor in naui ſua adhuc haberent. Circa veſperam eius diei ad 30. orgyas conſederunt. Sequenti die iterum progreſſi, circa veſperam ab extrema Inſula *Pulo Sambilam*, 7. leucas aberant. Habebant autem profunditatem 30. & 32. orgyarum, cumq; fluctus ceſſarent ad 27. orgyas ſeſe ſubmiſerunt in loco 9. leucas à *Pulo Sambilam* diſtante, ſub eleuatione 3½ graduum. Sequenti die iterum progreſſi continentem ex parte *Malaccæ* vſq; ad *Pulo Parcelar* excurrentem. Erat autē terra illa humilis & depreſſa, verum quo longius à littore remouebatur, eo aſſurgebat magis, nam *Pulo* illud *Parcelar* mons eſt illius loci ſatis excelſus, & è longinquo conſpicuus.

Conſtituunt curſum ſuū verſus Inſulā Daru dirigere.

Circa octauam fere eius diei horam cernebant Inſulas *Daru*, leucas adhuc quatuor à ſe diſtantes. Suntq; tres Inſulæ ad littus *Sumatra* ſitæ, diſtantes 15. fere leucas ab Inſula *Pulo Sambilam*. Circa veſperam conſidebant ad 20. orgyas, habebantque maximam Inſulam *Daru*, occaſum verſus ad duas cum dimidia, montem vero *Pulo Parcelar* verſus meridiem, ad 6 vel 7. leucas à ſe remotum. 11. Sublatis iterum anchoris fretum ingreſſi ſunt *Daru* Inſula occaſum verſus relicta. Inueniebant autem ad tria miliaria profunditatem 11. orgyarum, quæ paulo poſt varie mutata eſt. Habebant ibi montem *Pulo Parcelar* verſus Septentrionem. Die 13. profunditatem vix 12. 10. 9. & 8. orgyarum depræhenderunt, vbi tranquillo præſertim aere nauem difficulter promouere poterant. Erat periculum, ne forte à fluctuum vehemētia & celeritate Auſtrum verſus abriperentur, vbi vix 7. 6. & 5. orgyarum ſeſe profunditas offerebat. Proiiciebāt quidem anchoras ſuas, ſed illas mox iterum eleuabant, inueniebantq; poſtmodo profunditatē 13. itemq; 15. & 20. orgyarum. Mons *Pulo Parcelar* vltra leucas duas amplius nō aberat. Ablegarant quendā cum ſcapha, qui profunditatē iſtius tractus exploraret, deprȩhendebantq; minimam eſſe 4. cū dimidia orgyarum. Terra ibi maximam partem in Euroauſtrū verſus *Cauo Rochado* excurrit, in littore quidem plana admodū, & multis arboribus conſita, aſpectuq; valde iucunda, quo longius autē à littore procedas, eo magis aſcendere videtur. Circa veſperā ſubmittebant ſeſe ad orgyas 29. habebantq; montē *Pulo Parcelar* ad leucas duas cum dimidia Septentrionem verſus à ſe diſtantē. 14. die propter tranquillitatē nimiā parū promouere poterant, cogebanturq; anchoras proiicere ad orgyas decem. Sequenti autē die cū mediocri vento progreſſi, profunditatē creſcere paulatim depræhendebant ab vndecim ad viginti orgyas, quin imo paulo amplius progreſſi vix fundū reperire amplius poterant, quod mira ibi eius eſſet varietas. Circa veſperam eleuationem depræhendebant 2½ graduum, aberantq; duabus à terra leucis. Po-

Inſulæ Daru ad littus Sumatra.

Poterant autem littus *Sumatra* ibi paulatim prospicere, quod terram habeat humilem admodum & planam. 16. *Malaccam* præteruecti sunt, à vallo leucas duas fere remoti. Circa vesperam autem submittebant sese ad locum quendam 4. leucas à *Malacca* distantem; poterantque ibi vndique ad littus *Sumatra* prospicere, quod leucas non amplius sex ab eo abessent.

Capiunt nauem quandã Lusitanicam

Videntes autem 17. Septembris die, nauem aliquam ad leucas duas à se Euroaüstrum versus remotam, recta ad eam contenderunt. Conabantur vero qui in naui erant ad littus applicare, & sese persecutioni Hollandorum eripere, verùm cum Celocem viderent, scaphamque Viceadmiralis tam celeri adnauigare cursu, vt euadere se Hollandorum manus vix posse putarent, viri viginti quinque, quorum 9. Lusitani, reliqui vero Nigritæ erant, in scapham puppi nauis adhærentem descendentes, remis velisque vti euaderent, laborarunt. Verum qui in scapha Viceadmiralis erãt, acrius insistentes eam facili negotio compræhensam secum ad naues suas abduxerunt. Postmodo nauem etiam insequentes, eam sub ingressum *Rio Formo*, fluuii nimirum leucas decem à *Malacca* distantis, vela contrahere coegerunt. Lusitani de naui illa interrogati, *Iunkam* esse dicebant, ex *Macazar*, quæ Insula est prope *Moluccas* sita, & in tabulis Cosmographicis alias *Celebes* vocatur, venientem. Onerata erat nauis illa 150. *Baeres* nucum myristicarum, Mazis item & Caryophyllorum partem haud exiguam, cum cera & multis vtriusque sexus mancipiis. Cursum autem intenderant *Malaccam* versùs, vnde ante menses octo egressi fuerant. Præfectum habebant *Dominicum de Carnalso* nomine, qui in naui remanserat, fugam cum reliquis inire recusans. Cognoscebant autem ab illis Hollandi, *Iunkam* siue nauem adhuc aliam restare ad Regem *Macazar* pertinentem, vna cum triremi aliqua Lusitanica. Non poterant autem Lusitani pro certo affirmare, nunquid hæ naues iam præteriissent, nec ne. Hollandi nauem hanc 18. Septemb. ad suas traduxerunt, proiectisque anchoris eam ad 20. vsque subsistentes exonerarunt, Rectoremque nauis, qui Æthiops Malacensis erat, vna cum Christiano quodam Malacensæ linguæ Lusitanicæ perito ad naues suas traduxerunt. Habitabant ambo in *Macazar*, Hollandis autem pro superando eo melius freto *Sincapura* seruire debebant, quod initio quidem facere detrectabant, verum cum Hollandi rogando & promittendo diligenter instarent, consenserunt tandem quod vellent voluntati eorum satisfacere, sed ita tamen, si precium ipsis pro parte sua aromatum, quam in naui illa habebant, refunderent, quod similiter & aliis quibusdam in *Macazar* habitantibus factum est.

Hollandi adhuc aliam nauem accipiunt.

Die 20. Septembris nauem iterum aliam viderunt ab anchoris hærentem, itaque Celocem cum duabus scaphis ad illam emiserunt, in quibus quidem scaphis Pilottæ etiam siue Rectores nauium erant. Interea vero Hollandi Lusitanos omnes in *Iunkam* siue nauem suam iterum deposuerunt, & Antonio Borchado cum suis serio mandarunt, ne priusquam veniam siue licentiam accepissent, abirent. Qui in Celoce & duabus scaphis erant, cum prædictam nauem assecuti essent, cognouerunt eam *Iunkam* siue nauem illam Regis in *Macazar* esse, de qua Lusitani antea dixerant. Erat autem nucibus myristicis maxima parte onerata, habebatque quatuor Lusitanos, inter quos prouectæ admodum ætatis quidam erat nomine Martinus Alfonsus. Hi circa vesperam ad Viceadmiralem omnes delati sunt. Sequenti vero die sequebatur eos etiã *Iunka* siue nauis ipsa, cumq;

propter

propter fluctuum vehementiam & velocitatem aliquanto tardius progrederetur, Hollandi sublatis anchoris in occursum ei prouecti sunt. Submittentes autem sese iuxta nauem illam ad profunditatem 22. orgyarum, habebant fluuium *Rio Formoso* dictum ad dimidium miliare ortum versus à se remotum. Macazarenses, qui in *Iunka* siue naui illa erant, dicebant Lusitanos in ea septem *Pitaccas* habere, quæ sunt interstitia siue loca quædam ab vno nauis latere ad alterum pertingentia, & ab aliis separata & distincta, aliquot palmos lata, quæ quidem ipsi sponte sua Hollandis commonstrarunt, cum spes ipsis de bonis suis omnibus retinendis facta esset, qua in re fidem etiam Hollandi ipsis seruarunt, ne ministrum quidem nauticum contingere in naui illa & attrectare quicquam sinentes. Non erant autem etiam optimi generis nuces illæ Lusitanorum, itaque non dignas iudicabant Hollandi, quibus efferendis tempus insumerent. Constituerant quidem initio nuces illas à Macazarẽsibus redimere, & propterea etiam Procuratores Regis compellauerant, verum cum tanti eas æstimarent, quanti alias *Malaccæ* væneunt, nec minoris vendere nollent, Hollandi, ne eos offenderent, vel causam eis etiam præberent apud Regem suum de Hollandis conquerendi, consilium statim mutarunt, idque eo magis, quod nuces eas non esse de optimo genere viderent.

Summa igitur cum beneuolentia nauem illam à se dimiserunt petentes, vti nationem suam, nauesque Hollandicas Regi suo commendarent, quod quidem diligentissime se facturos, & apud Regem facile perfecturos, vt ad *Macazar* venientibus forte Hollandis omnis beneuolentia exhibeatur, polliciti sunt.

Rex & populi in *Macazar* plerique Ethnici sunt, quamuis multi etiam Æthiopes & Christiani inter illos reperiantur. Lingua vtuntur Malaica, liberales alias, benefici, &, vt fama est, singulari humanitate præditi. In bello fortes sunt, & viros sese præbent, armis vtuntur arcubus & sagittis, quarum cuspides ex acutissimis piscium ossibus constant, veneno adeo infectis, vt illis vulnerati & percussi mortem euitare non possint. Pro vero hoc Hollandis affirmatum est, qui etiam Pharetras aliquot sagittis repletas ab illis acceperunt. Cognouerunt autem ex illis etiam Hollandi, Malaios ex *Macazar* mercimonia sua in *Moluccis* Insulis exercere solere, asportantes eo nuces myristicas, Caryophyllorum item & Macis copiam, vbi etiam ante hæc tempora cum Hollandis commercia exercuerant. Cum enim nullæ ibi naues adsunt, quibus aromata & merces suas diuendant, coguntur eas *Macazar* versus reuehere, quemadmodum hoc ipso quidem etiam anno factum fuerat. *Iunka* enim siue nauis Regia paulo ante ex *Banda* aduenerat, cum vero aromata illa ad *Macazar* translata sunt, solent ea *Sundam*, item *Bantamum*, & alia loca perferre. Sed & Lusitani interdum *Malacca* aduenire emptum ibi aromata solent, quod quidem iam etiam fecerant, exiguum admodum & vile precium pro illis soluentes. Pilottæ vero siue nauium Rectores, quos ex *Iunka* Lusitanorum ad naues suas traduxerant, referebant in plaga meridionali, aliquot dierum itinere à *Macazar*, Insulam quandam *Ende* nominatam abesse, Vulcano, seu monte sulphureo semper & perpetuo ardente, qui *Gunoaspi* vocetur, claram. Sitam etiam in ora illa Insulam *Soloe*, in qua Lusitani castellum aliquod habent, dicebant, addentes & hoc, solere ad illam Insulam magnam Sandali ex *Timoe* Insula & aliarum mercium copiam deferri. Regem huius Insulæ *Sang Adsipati* dictum in *Adonare* habitationem suam habere dicebant, qui ante

De qualitate & statu populorum in Macazar.

Ende Insula Vulcano clara.

annos tres vel quatuor Christianus quidem fuisset, iam vero cum Æthiopibus aliis sese Lusitanis opposuisset, quorum eo tempore 900. plus minus cæsi partim, partim in captiuitatem abducti fuerint, quo facto in gratiam iterum cum Lusitanis redierit.

Lusitani captiui dimittuntur.

Cæterum Lusitani, qui vigesimo Septembris ad Viceadmiralis nauem translati fuerant, 22. postmodum die in *Iunkam* delati & liberi dimissi sunt; cum prius causam huius inimicitiæ & persecutionis Hollandi ipsis exposuissent, nempe quod Lusitani longo iam tempore id vnice dedissent operam, vt Hollandos ab Insulis Orientalis Indiæ arcerent, & quo minus commercia sua ibi exercerent, odium ipsis apud Reges & populos varios excogitatis variis mendaciis conciliare adlaborassent, quod item Regibus populisque illis munera varia promisissent, vt Hollandos saltem expugnare, trucidare & extirpare è regionibus suis vellent. Quin imo quod nondum cessarent insidias Hollandis struere, & quoscunque compræhendere possent, miserrime trucidare & interficere, cuius rei quidem superiori adhuc anno in *Macau* Chinæ ciuitate exemplum edidisset, Hollandis aliquot ex naui Generalis *Neccij* compræhensis & ad mortem crudelissime abreptis. Cum igitur (dicebant Hollandi) extremam perniciem & internecionem Hollandorum Lusitani quærerent, à quibus tamen ante hæc tempora nulla essent affecti iniuria, non posse se aliter facere, quam vt de remediis huic malo adhibendis cogitarent. Quod si igitur perrecturi essent & permansuri in isto aduersus Hollandos odio, non defutura sibi etiam media crudelitatem istam in ipsis vlciscendi.

Respondebant autem Lusitani seipsos honeste excusantes, dicebantque sibi quidem & communi plebi grata ista & accepta non esse, non posse se tamen repugnare his, quæ à Rege, Prorege in *Goa* & aliorum castellorum Præfectis fierent, quos quidem tanquam perniciei & interitus sui causam vnicam diris omnibus deuouebant, vt appareat, Dominum Emanuelem, si cum nauibus aliquot ad hasce terras venturus esset, Lusitanos facile ad suas partes pertracturum esse, qui nihil magis quam liberari [redacted] Hispanorum cupiunt.

Perueniunt ad Insulam Pulo Picor.

Dimissis igitur *Iunccis* siue nauibus istis *Malaccam*, Hollandi etiam ipsimet progressi sunt, sed propter ventorum nimiam tranquillitatem dimittere se paulo post iterum cogebantur, inuenientes profunditatem 15. 20. & 28. orgyarum. Sequenti 23. die perueniunt ad Insulam *Pulo Picor*, cumque ad leucas duas vlterius progressi essent, vadum reperiebant 6. orgyarum, & Viceadmiralis quidem vix tres cum dimidia orgyas inueniens, regredi cum naui sua cogebatur. Vadum hoc inter Insulam & continentem medium esse videtur. Nam ab occasu aduenientibus accessus propius quã ad leucas duas non patet, idque eam ob causam, quod vadum illud eo quidem loco se tam procul extendat. Hollandi versus meridiem ad orgyas 14. mollioris fundi consederunt, habentes *Pulo Picor*, ortum versus à se distantem. Insula vero *Carimon*, quæ ingens est, & eleuata admodum regio, multis aliis Insulis circumdata, distabat ab eis Euroaustrum versus 4. miliaribus. Fluctus rapidissimus versus fretum *Sabon* ferebatur, poterantque littus *Sumatra* facile prospicere, & ab aliis locis internoscere, propterea quod terram habeat planam, humilem & depressam. Die 24. cursum suum versus Insulam *Carimon* dirigebant, relictaque Insula *Pulo Picor* ad sinistram Insulam *Carimon* à dextris habebant. Dimittebant sese ad orgyas 7. habebantque altitudinem 53. scrupulorum.

Die

Die 25. prouecti versus angulum Insulæ *Carimon*, reperiebant profunditatem 20. Orgyarum, quæ, quo propius ad Insulam accederent, eo subinde maior deprehendebatur. Post meridiem autem cogebantur, se dimittere propterea, quod fluctus rapidissimos sibi aduersos haberent. Parum autem profecerant, videbantq; angulum Insulæ *Carimon* orientalem, itemque angulum continentis terræ, quæ dicitur *Tanzamburo* ortum versus à se distantem. Quicunque autem per fretum *Sabon* nauigare volunt, cursum suum inter Insulam *Carimon* & continentem *Sumatræ* continere coguntur.

Die 26. dirigebant cursum suum Austrum versus, cum Rectores nauium dicerent, cursum illum *Sincapuram* ducere. Deprehendebant autem ibi profunditatem 19. Orgyarum, cumque à terra iam non amplius duab. leucis abessent, reperiebant ibi profunditatem 15. Orgyarum. Circa vesperam autem considentes multis & variis vndiq; Insulis circumdati erant, ita vt nescirent, quo sese verterent, ne à freto *Sincapuræ* aberrarent. Videbant quidem ingressum quendam magnę capacitatis versus ortum excurrentem, putabantque eam regiam viam versus *Sincapuram* esse, sed Rectores nauium omnes Euroaustrum versus innuebant, eo nimirum fretum *Sincapuræ* se extendere significantes. Sequenti 27. die quidam ex *Sepe Hollandica* cum duobus illis peregrinis nauium Rectoribus Scapha ad exitum quendam delatus est, vt cum dicerent, eo nauigandum omnino esse, profunditatem prius exploraret. Naues autem ad ostium istius Æstuarii hærebant, donec illi cum Scapha sua redirent, qui dicebant, se profunditatem 9. 10. 12. & 13. Orgyarum inuenisse. Erat æstuarium hoc inter duos scopulos ad sclopeti iactum patens, excurrebatque versus Euroaustrum. Cęterum progressi summam experiebantur tranquillitatem, cumq; Celocem fundo adhærere contingeret, qui in reliquis erant nauibus proiecta anchora sese inter duos scopulos loco admodum angusto hærere depræhendebant. *Sincapuram petere expetunt.*

Die 28. cum ventum non vsque adeo conuenientem experirentur, conuerso itinere ad ostium Æstuarii iterum, qui in *Sepe Hollandica* erant, reuersi sunt. Reliquæ vero duæ naues Viceadmiralis, nempe cum Celoce, eodem adhuc die fretum illud superarunt, quas die quidem sequenti *Sepes* etiam *Hollandica* secuta est.

Instituta iterum velificatione, cum vix ad minoris alicuius tormenti iactum promouissent, cogebantur sese iterum dimittere, idque ob fluctuum ipsis aduersantium vehementiam. Hærebant autem ibi inter duas Insulas vix ad bombardæ iactum ab inuicem distantes, iamque Rectores nauium dubitare incipiebant, qua imposterum insistendum via esset, itaq; Hollandi ne frustraneum laborem insumerent, duas Scaphas populo & commeatu ad dies aliquot munitas cum Pilottis siue Rectoribus illis emiserunt, vt de *Sincapura* inquirerent. Harum altera 30. Septemb. reuersa relationem nullam afferebat. Eodem die traiecerat Celocis nauta cum Scapha sua, & septem Hollandis aliis ad Iusulam quandam ligna & aquam potabilem allatum. In hos autem Æthiopes istius loci impetum fecerunt. Cum igitur, qui in nauibus erant, eos vociferantes audissent, Scapham statim cum armatis aliquot, qui auxilio ipsis venirent, ablegarunt. His visis Æthiopes fugam arripuerunt, qui nautam iam interfecerant, reliquos vero grauiter vulnerarant, siquidem nihil armorum, quo se defendere potuissent, secum sumpserant. *Ignorāt quo cursum suū vertere debeant.* *Hollandi aliqui ab Æthiopibus trucidati.*

Hollandi igitur cum Scapha sua Insulam circumnauigarunt, si forsitan eos adhuc apprehendere possent. Verum illi cum quatuor *Pravven* siue scaphis, ab altera Insulæ parte constitutis continuo aufugerant. Post meridiem eius diei scapha etiam altera ad naues reuersa, licet ad tria milliaria Euroaustrum versus progressa fuisset, nihil tamen de Sincapura cognoscere potuerat, syrtesque & Insulas plurimas inuenerat. Circa vesperam igitur Hollandi Scaphas illas nouo commeatu instructas, vna cum Pilottis siue Rectoribus illis iterum ablegarunt, hoc expresso eis mandato addito, ne donec fretum *Sincapuræ* inuenissent, ad naues reuerterentur.

Homines quidam sese Hollandis offerunt, cum quibus loqui potuerunt.

Primo Octobris Scaphas aliquot ad locum illum, vbi pridie eius diei nauta Celocis perierat, emiserunt vt aquam recentem afferrent, sed armis suis melius quam ante instructi prouehebantur. Circa vesperam *Pravven* siue Scaphæ aliquot ad latus Insulæ septentrionale conuenerunt, qb. Hollandi præfixis statim vexillis albis signũ dederũt, vt ad naues venirent, cumque id ex timore nimio facere recusarent, Scapham cum vexillo pacis ad eos ablegarunt cum puero quodam Pilottæ seu Rectoris nauium, qui cum illis loqueretur, significaretque illis, eos non Lusitanos, sed Hollandos esse, verum ipsi cum non possent tam facile persuaderi, crastina luce redituros sese ꝓmiserũt. 2. Octob. cũ vexillis albis reuersi in loco priori substiterũt. Hollandi ergo ablegata Scapha eos ad naues suas venire iusserunt, qđ quidem facere noluerunt, nisi prius duo Hollandi *Pravven* siue scaphas suas ingrederentur, pro quibus ipsi vicissim duos in Hollandorum scapham deposuerunt. Cum igitur ad Viceadmiralis nauem venissent, cœpit ille cum eis loqui per Interpretem aliquem linguæ Malaicæ admodum peritum. Dicebant autem, Capitaneos sese seu Præfectos esse super duas præsidiarias Lusitanicas naues, quatuor triremes, & 20. vel 25. *Bantyni* siue *Pravven*, quæ naues omnes non ita pridem ex *Malacca* ad portum *Ior* venissent, constitutos esse. Dicebant porro, bellum & inimicitias esse inter populos in *Ior* & Lusitanos, quodque Hollandi quidam in *Ior* essent, relicti nempe ibi ab Admirale Hemskirchio, post expugnatam opulentissimam *Krake* siue nauem ex *China*. Cæterum quod ad nauigationem Hollandorum præsentem attinet, dicebant illi, non recto eos cursu incedere, sed à vero aberrasse, necesseq; esse, vt vela conuerterent, quo facto se ad portum *Ior* eos traducturos promittebant. Erat hoc Hollandis gratum admodum, & mercedem eis statim pro officio hoc promittebant. Verum illi mercedem accipere recusantes, debere se hanc beneuolentiam Hollandis Principis & Regis sui nomine dicebant.

Circa meridiem eius diei *Pravv* siue nauigium ad naues cum Rectore quodam nauium aduenit linguæ Lusitanicæ admodum peritus. Adducebat autem duos ministros nauticos Hollandos, qui ex Scapha eorum veniebant, dicentes: Malaios aliquot Scapham suam ingressos fuisse, vt iter sibi regium monstrarent. Hollandi igitur *Pravv* siue nauigium hoc, cum literis statim ad Scaphas suas ablegabant, sublatisque anchoris per fretum illud quo venerant, regressi sunt, demittentes sese extra freti illius siue æstuarii ingressum, cum duobus *Pravven* siue nauigiis, ad 12. Orgyas. 3. Octob. viderunt scaphas suas, progressi autem se adhuc ante meridiem demittere cogebantur propter contrariorum ventorum vehementiam.

Freti Sincapuræ descriptio.

Circa meridiem Scapha ipsorum ad naues veniebat, quæ fretum quidem *Sincapuræ* emensa, longitudinem tantã, quantam tormenti displosione asse-

ne assequi possent habere, & in latitudine ad lapidis iactum patere dicebat, profundum in latere occidentali 15. & 16. itēq; 10. 9. & 8. Orgyas. Vbi ab Occasu fretum illud ingressus fueris, *Carimon* ad Austrum, quinque fere leucas remotum depręhendes, scopulo quodam ad sinistram instar duarum columnarum erecto. Peruium non apparet, nisi quis prius ingressus fuerit. In latere Orientali profunditas est quinque, itemque quatuor cum dimidia Orgyarum. Septentrionem versus exitum siue angulum quendam habet, vbi pagus quidam videtur, quem *Sincapuram* vocari asserunt. Scaphæ igitur ad finem freti peruenientes circa Insulam Austrum versus à freto remotam nauigarunt, vt ad naues suas iterum peruenirent, inuenientes ibi fretum aliud profunditate optima, ita vt melius naues suas per hoc quam per *Sincapuræ* fretum transituras putarent. Post meridiem ventum commodum nacti progrediebantur, cursum versus Septentrionem dirigentes, vt scopulum meridiem versus situm euitarent, tametsi tramite inter scopulum & vallum meridionale medio transire etiam commode potuissent, & profunditas satis magna ibi deprehensa esset. Fretum hoc quibusdam in locis leucas duas & amplius patet. Circa vesperam autem dimittebant sese ad Orgyas 25. vt ita eo melius transire & superare fretum hoc possent, quod ab occasu incipiens sese ex *Carimon* versus ortum & meridiem ad quinque miliaria extendit.

Reperitur ibi exigua quædam Insula colle quodam multis arboribus consito conspicua. Hæc transeuntibus ad sinistram, & scopulus quidam ad morem columnæ alicuius sese super aquam extendens, ad dextram relinquenda sunt. Distat autem scopulus iste ab Insula dimidio fere miliari, & ibi quidem fretum illud quam maxime patet, ortum versus excurrens, nec quicquam in eo magnopere præter scopulum modo dictum extimescendum est, & propterea pręstat cursum iuxta vallum Septentrionale continere, vbi multæ Insulæ occurrunt ad sinistram omnes relinquendæ. Qui vero per alterum illud fretum Sincapuræ angustius transire expetūt, in altero sese latere contineant, & Insulas illas ad dextram relinquant, oportet. Quarto Octob. ante meridiem quidem tranquillitatem magnam habebant, post meridiem autem cursum suum versus portum *Ior*, qui alias Portus de *Patana* vocatur, direxerunt. Profunditas vbique conuenientissima est. Versus Occasum autem albus sese collis exerit, vnde ingens lapidum cumulus ad sesquileucas fere meridiem versus in mare se profundit. Circa vesperam anchoras ad 19. Orgyas proiiciebant, remoti à terra ad tres fere miliaris quartas, & angulum album versus ortum relinquentes. Veniebant autem ad illos multa nauigia, quæ ipsi *Pravven* vocant, & inter alia etiam vnum, quod ad Admiralem maris pertinere dicebant, qui Gubernator Insulæ *Bintham* erat. *Perueniunt ad portum Ior.*

Sed & nauigium quoddam ad eos veniebat, literas à Rege in *Ior* ipsis afferens, quas scripserat quidam *Iacobus Buyss*, ab Admirali Hemskirchio ibi relictus, idque in vrbe *Batousaber*, quæ ad sex fere miliaria fluuium ascendendo ab hoc portu aberat, & ab aula Regia celebris habetur. Ex hisce literis intelligebant Hollandi, 19. Septembris duas Lusitanicas præsidiarias naues, quatuor triremes & 20. *Bantyns* ibi aduenisse, vti nauibus Macaricis & Iaponicis, quæ intra tres menses adfuturæ, ibi & naues Hollandicas ad *Malaccam* vsque deductūræ dicebantur, insidiarentur. Interea autem naues istę præsidiariæ *Pravven* & *Iunkas* quotquot poterant, diripiebant. Capitaneus & Præfectus earum dicebatur *Estenao Teixeira de Made.* *Accipiunt literas à Rege in Ior.*

Ad has literas responderunt statim Hollandi, se pugnam cum Lusitanis, quamprimum daretur occasio, inituros, Regemq; per Dei gratiam ab illis facile vindicaturos. Petere autem det operam, vt quamprimum ad se veniat, & coram de rebus omnibus secum loquatur.

Nauigia quædam circa portum Ior Hollandis visa.

Cæterum 5. Octob. cum aliquot nauigia circa portus exitum viderent, & vero ad classem Lusitanicam ea pertinere putarent, Scaphas statim duas militibus instructas, vna cum quinque *Pravven* ex *Ior*, quæ per noctem illam ibi permanserant, nauigiis illis immittebant, sed & cum Celoce ad locum illum processerunt. Verum enimuero nauigia illa arrepta fuga inde abierant. Circa meridiem Hollandi progredientes, portum recta sese petere arbitrati sunt. Verum deprehendebant paulo post, se vallo saxeo ex albo colle deriuato, iam iam cum nauibus suis imminere. Itaque cursum suum in Euroaustrum conuertentes, iuxta vallum ad decem Orgyas progrediebantur. Postea autem profunditatem maiorem inuenientes in occasum directo cursu portum petebant. Cogebantur autem circa vesperam propter fluctuum vehementiam anchoras suas proiicere, cumq; omnino decreuissent, classem Lusitanicam adoriri & oppugnare, progrediebantur sequenti die versus introitum fluminis, & circa meridiem cum vento placido illud ingrediebantur, duas exiguas Insulas ad dextram relinquentes. Confluebant autem multa ad illos nauigia ex variis locis, vt portum sub patrocinio eorum eo tutius & securius ingredi possent. Cum igitur tandem classem Lusitanicam conspexissent, & ad sesquileucas ab ea adhuc abessent, ad decem fere Orgyas sese demiserunt. Circa tertiam postmeridianam Scaphas aliquot minores ad se appropinquare, exploratum videlicet qui essent, viderunt, quæ vero conuerso statim itinere ad classem, vnde venerant, reuertebantur. Circa vesperam sublatis anchoris paulo amplius progressi sunt, seq; iterum ad 7. Orgyas demiserunt, omnia parantes, vt sequenti statim die classem Lusitanicam aggrederentur & oppugnarent.

Hollandi literas à Iac. Buissio accipiunt.

Septimo Octobr. progressi ad syrtes & breuia trium Orgyarum deferebantur. Accipiebant autem ibi literas alias à Iacobo Buissio, qui scribebat se literas Hollandorum 4. Octobr. scriptas accepisse, & Regi totiq; populo interpretatum esse, qui omnes singulare gaudium inde percepissent, sperantes nimirum fore, vt quasi ex diuturno carcere liberarentur. Referebat porro, fratrem Regis *Rahu Bongso*, prima occasione iter ingressurum, & apud Hollandos permansurum, donec per gratiam Dei Regis suosq; communes hostes profligassent. Hic *Rahu Bongso* adfuerat etiam expugnationi nauis de *Macao*, permanseratq; in naui Hemskirchii, donec expugnatio nauis illius ab Hollandis facta esset. Paulo post venit ad Viceadmiralem Lusitanus quidam *Renegado*, minister Regis in *Ior*, nomine *Codsa ab Delsab*, literas adhuc alias à Iacobo Buissio afferens. Addita autem erat etiam epistola à Rege in *Ior*, Malaica lingua scripta, quam prædictus Buissius in Germanicam verterat, qua Rex maximopere se Hollandorum opera à persecutionibus Lusitanorum liberari petierat. Exorto postmodũ vento breuia illa & syrtes superarunt. Cũ autem Viceadmiralis fundo iterum insedisset, anchoris ad 6. Orgyas proiectis expectare paulisper, donec ipse se inde explicaret, coacti sunt. Accrescente autem paulo post fluctu, cum Viceadmiralis sese inde expediuisset, sublatis iterum anchoris progressi. Erant iam ad pugnam parata omnia, itaq; cum non procul à classe illa consedissent, fusis ad Deum precibus, auxilium diuinum implorarunt, moxq;

Hollãdi classem Lusitanicam oppugnant.

moxque ad tormenta conuersi, frequenti displosione fulminare & classem oppugnare cœperunt. Lusitani non vsque adeo frequenter, sed dextre admodum respondebant. Habebant autem triremes quatuor, & iuxta eas *Bantyns* siue *Pravven* aliquot, quibus ad vulneratos ex nauibus deferendos vtebantur. Durabat hæc tormentorum scloporumque displosio totum istum diem, donec circiter horam quintam discessum parare inciperent. Non poterant autem commode propter Hollandos ab inferiori loco pugnantes abire, qui cum impetum eos in se facturos putarent, excipere eos & pro dignitate tractare modis omnibus adlaborarunt. At illi cum triremibus suis summa vi Hollandos prætereuntes, & inter media tormentorum tonitrua perrumpentes, ad vadum illud, vbi Hollandi postremo substiterant, anchoras suas exposuerunt.

Interea dum pugna hæc duraret prædictus *Rahu Bongso* cum triremibus & *Pravven* siue nauigiis aliquot, spectator in plaga occidentali hærens, euentum pugnæ cognoscere gestiebat. Erat autem cum illo prædictus Iacobus Buisius, qui profligato statim hoste ad naues statim Hollandicas aduectus est, vna cum multis Domini sui ministris, qui gratias Viceadmirali maximas agens, eleganti *Criß* siue pugione eum donauit. Hoc facto ad triremes sese suas iterum recepit, quæ vna cum *Pravven* aliquot iuxta naues Hollandicas substiterunt, cibos Hollandis varios potumque *Aracka* & fructus offerentes. In pugna hac Hollandi sex viros amiserunt, tres nempe ex naui Viceadmiralis, & tres ex *Sepe Hollandica*, vbi duo à tormenti alicuius disruptione, tertius vero glande plumbea percussus occubuerant. Sed & vulnerati quidam fuerant, maxime vero *Sepis Hollandicæ* Nauarchus, qui glande plumbea per genu alterum traiectus fuerat. *Regis in Ior frater gratias Viceadmirali pro pugna hac agit.*

Sequenti die putabant quidem Hollandi Lusitanos ad vadum illud adhuc hærere, verum illi noctis beneficio sese inde subduxerant. *Rahu Bongso* igitur cum Nobilibus suis Viceadmiralis nauem ingressus est, & probe perlustrauit. Cumque ob ventorum tranquillitatem proficere nihil possent, coacti sunt ibi per noctem illam subsistere, idque eo magis quod nuncium sub vesperam de Regis ipsius aduentu acceperant, illa eum cognito pugnæ huius successu prospero, vt Lusitanos ex finibus suis plane profligaret, cum triremibus nauigiisque aliis & multis armatis sese Hollandis coniungere, & Lusitanos persequi voluerat. *Rex in Ior cũ classe sua ad Hollandos sese iungit.*

Sequenti igitur die, cum ventus ipsis fauere aliquo modo videretur, sublatis anchoris, progredi cum triremibus & *Pravven* cœperunt. Peruenientes autem ad ostium fluminis illius, recedentibus aquis, subsistere ibi coacti sunt, viderunt vero etiam classem Lusitanicam ad duas propemodum leucas à se remotam. Itaque sequenti statim die ea rursus aggredi & penitus profligare decreuerunt. Vndique autem classe Regis circumdati erant, quæ 40. *Pravven* & quatuor vel quinque triremibus, in quarum maxima Rex ipsemet, in duabus vero aliis duo eius fratres vehebantur, constabat.

Ingressus autem fuerat Viceadmiralis triremem Regis, qui & gratias ei maximas pro præstito hoc sibi officio egerat, & *Criß* siue pugione pulcherrimo eum donauerat. Simul autẽ etiam Viceadmiralis de pipere cum Rege locutus fuerat, quod breui accepturus erat, dummodo portum suum liberum retineret. Rogauit igitur Rex Hollandos modis omnibus, vt in suo portu aliquandiu subsistere vellent, quo fine quidem etiam Gubernatorem de *Campate*, quem in triremi sua secum habebat, ad eum ablegauit. *Rex in Ior Hollandis gratias agit.*

Is

Is linguam Lusitanicam mediocriter callebat, promittebatque Viceadmirali daturum sese operam, vt piperis, quantum ad onerandas naues suas sufficeret, accepturus sit. Illud enim ex *Campate*, *Androgiri*, & locis aliis, eo magna aduectum iri copia affirmabat, modo portum suum retinere liberum possent. Verum Viceadmiralis respondebat, se iam diu admodum in itinere fuisse, & inde commeatum suum valde imminutum, vt necesse esset vecturam suam alibi inquirere, & primo quoque tempore reditum in patriam maturare.

Hollandi classem Lusitanam denuo oppugnant. Cæterum 10. Octob. simul atque dies illuxisset, Zephyro vtentes vento in hostem progressi sunt, *Rahu Bongso* vna cum multis Nobilibus, & Iacobo Buisio, in Viceadmiralis nauem ingressis. Lusitani igitur videntes Hollandos ad se venire, cum triremibus & *Pravven* omnibus coniuncti ab altero latere substiterunt. Constituerant quidem Hollandi nauem maximam solummodo oppugnare, & tormentis suis petere, fusis itaque ad Deum precibus, circiter nonam & decimam horam ad eam delati, tormenta sua omnia in eam disploserunt. Animaduertentes autem Lusitani, qui in minori naui erant, maiorem tantum ab Hollandis peti, auxilio ei veniendum putarunt, idque inprimis operam dederunt, vt carbasa & vela Hollandorum peterent, sperantes illis disruptis fore, vt à persequendo sese postmodum cessarent. Cadebant autem frequentes admodum ex nauibus in adiunctas scaphas, & tandem versus *Pedra Branca* cursum suum direxerunt.

Cæterum, cum triremes Lusitanicæ à *Pravven* siue nauigiis aliis hac quidem vice separatæ essent, sperauerant quidem Hollandi fore, vt classis Regia in *Pravven* Lusitanorum impetum faceret, verum ea serius aliquanto aduecta, Lusitani ad vallum meridionale declinare visi sunt. Frater Regis *Rahu Bongso* per totum illum diem in Viceadmiralis naui existens, tandem circa vesperam ad triremem suam reuersus est. Iacobus vero Buisius in Viceadmiralis naui remansit, vt sequenti die Regi, quid facturi imposterum Hollandi essent, significaret.

Sequenti 11. die videbant Lusitanos adhuc in mari ab anchoris hærere, integro tamen fere miliari à se remotos, qui paulo post explicatis velis plane discesserunt. *Lusitani portum in Ior plane deserunt.* Cum igitur Rex in portu adhuc cum classe sua hæreret, misso statim Iacobo Buisio, ei significarunt, velle se libẽter Regi valedicere, & iter suum promouere. Progressi autem paulo amplius versus portum, ad 12. orgyas consederunt, per noctẽ ibi permansuri, & aduentum Regis expectaturi, qui sequenti die, vna cum vniuersa classe & duobus fratribus suis, ad naues Hollandorum applicare volens, tantam expertus est tempestatem, vt madidi omnes, antequam Hollandorum stationem assequerentur, facti sint.

Hollandi discessum à Rege in Ior parant. Procurator Viceadmiralis vna cum Iacobo Buisio & aliis ad triremem *Rahu Bongso* aduectus est, vt assumpto eo ad Regem pergerent, quem in triremi sua tapeti insidentem inuenerunt. Significabant autem ei per interpretem, Viceadmiralem absumpto propemodum commeatu, ibi diutius commorari non posse. Petere igitur Regem, ne grauetur ad nauem suam venire, vt valedicere ei commode possit. Rex cõmemoratis beneficiis sibi ab Hollandis præstitis, dolere se dicebat, quod tanquam non vsque adeo diues Rex satisfacere ipsis pro merito non posset, & vero tam ingens beneficium splendidam etiam satisfactionem efflagitaret. Hollandi respondebant, se nullam satisfactionem requirere, sed beneuolo Regis erga

suam

ſuam nationem & gentem affectu contentos eſſe, & petere, vt conſeruato erga Hollandos amore, eos, ſi quando ad regnum ſuum peruenturi eſſent, commendatos ſibi haberet, qui reſpondit, notum eſſe omnibus, qui in regno ſuo hactenus fuiſſent, quanto eos amore proſecutus fuiſſet, iam vero ſatis agnoſcere, quod multo plus erga nationem iſtam obligatus eſſet. Dolere vero non parum, quod tam cito inde diſcedere vellent, & nullum ibi fructum percipere poſſent, cum tam eximie de ſe promeriti eſſent. Addebat autem porro, nihil ibi hoc quidem tempore piperis adeſſe, ſed portu iam ab hoſtibus ſuis liberato, ſperare ſe, quinque menſium ſpacio, quantum pro onerandis nauibus iſtis opus eſſet, eos facile accepturos. Reſpondebant Hollandi, quod cum ſatis longo iam tempore abfuiſſent, & commeatum fere omnem iam abſumpſiſſent, neceſſe eſſe, vt de acquirenda primo quoque tempore vectura laborarent.

Venit interea ad triremem illam ſecundus etiam Regis frater, cumque aliquandiu Hollandis adſediſſet, parum tamen locutus fuiſſet, ſalutato Rege & Hollandis iterum diſceſſit. Rex vero venturum ſeſe ad Viceadmiralem quamprimum ſe purgaſſet & lauiſſet, pollicitus Hollandos à ſe dimiſit, qui *Rahu Bongſo* ad triremem ſuam delato, poſtmodum ad ſuos reuerſi ſunt. *Rex in Ior cũ fratribus & Nobilib. ſuis naues Hollandorum ingreditur.*

Non multo poſt *Rahu Bongſo*, & poſt eum Rex ipſemet cum fratre ſuo iuniore & proceribus Nobilibusque plurimis ad nauem Viceadmiralis peruenit. Cumque conclaue ipſius Viceadmiralis ingreſſi eſſent, Rex in menſam panno ſerico inſtratam, frater vero eius in ſcamnum & *Rahu Bongſo* in ſellam iuxta eum conſederunt. Poſtquam igitur Viceadmiralis eum honorifice excepiſſet, eleganti & longa oratione Hollandorum beneficia prædicans, gratias illis egit, quod hoſtes ſuos Luſitanos ſuperatos profligaſſent, atque ita portum ſuum ab hoſpitibus illis noxiis perpurgaſſent. Viceadmiralis autem Regi acinacem ſiue gladium Iaponicum, capulo & vagina argenteis conſtantem, *Rahu Bongſo* vero ſclopetum pulcherrimum donauit, varia inuicem colloquia miſcentes. Dicebat autem inter alia Viceadmiralis, non defuturas impoſterum in portu illo naues Hollandicas, dummodo piper ibi accipere ſeſe poſſe ſcirent. Quod ſi Luſitani reuerſuri, & noui aliquid in portu iſto molituri eſſent, ad naues illud Hollandicas *Bantami* vel alibi ſubſiſtentes id referri iuſſit, quæ Regi quidem nunquam defuturæ eſſent. Tandem vero cum ſibi inuicem valedixiſſent, ad triremes ſuas Rex cum fratribus Nobilibusque aliis reuerſus eſt.

Cæterum cum claſſem ſuam Rex ad portum reduxiſſet, decreuerunt Hollandi *Patanem* verſus nauigationem inſtituere, Celoce *Bantamum*, vti verſantibus ibi Hollandis id ſignificarent, dimiſſa. 13. autem Octob. aquæ adhuc recentis paululum attulerunt, cumque tranquillitas magna eſſet, coacti ſunt ſeſe iterum demittere, etiamſi velificationem iam ingreſſi eſſent. *Curſum ſuũ verſus Patanẽ dirigunt.*

Sequenti igitur 14. Octob. die Celoce quidem *Bantamum* verſus dimiſſa, ipſi *Patanem* verſus curſum ſuum direxerunt. Habebant autem ventum Zephyrum, & progrediebantur verſus Euroauſtrum, Septentrionem verſus, cum dimidium miliare non amplius à *Pedro Branco* abeſſent, verſus *Pulo Tmaon* progreſſi ſunt. 15. peruenerunt ad magnam quandam & rotundam Inſulam, quatuordecim fere leucas à terra *Ior* diſtantem. Prærernauigabant autem plures adhuc alias Inſulas, relinquentes eas omnes ad ſiniſtram.

Ab altera autem parte habebant ſcopulum quendam tantæ magnitudinis, vt inſulam eum primo eſſe putarẽt. Profunditatem habebant vbique ſatis commodam. Ventum vero auſtralem, cuius beneficio eodem adhuc die terram continentem viderunt. 19. die inſulas tres conſpiciebant, habebantq; altitudinem 4. graduum. Die 24. viderunt 7. inſulas, tres maiores, & quatuor minores, non procul à continente regione diſtantes. 26. die eleuationem habebant 6. graduum & 27. ſcrupulorum, nocte vero vadum 14. Orgyarum inueniebant Septentrionem verſus ab inſulis illis remotum.

Die 29. conſederunt dimidio fere miliari à terra ad 16. orgyas, & *Iunkam* ſiue nauem aliquam præterire videbant. Die 30. *Sepes* quidem *Hollandica* littus aſſequi potuiſſet, verum cum Viceadmiralis aliquantulum adhuc abeſſet, & *Iunkam* ſiue nauem illam verſus, quæ modo præterierat, ſeſe cõuertiſſet, ipſa etiam iter ſuum eo direxit. *Iunka* autem ſiue nauis illa ad Viceadmiralem cum fructibus aliquot adueniens, literas habebat ad ſupremum confœderatæ ſocietatis in *Bantam* mercatorem ſcriptas, quibus noua quædam continebantur ab aliquo Daniele de Leck, quem Admiralis Neccius in *Patani* reliquerat, ſcripta. Quibus lectis, Viceadmiralis literas rurſus occluſas Malaiis reddidit, qui dicebant, ſe duo adhuc miliaria à *Patani* abeſſe. Terra erat humilis & plana, quæ tamen, quo longius procedas, eo magis magisque eleuatur.

De ſtatu in Patani edocentur. Proiiciebant ibi anchoras ſuas Hollandi, cumque ſequenti die iterũ progreſſi eſſent, deferebantur ad vallum ſiue vadum 6. orgyarum, Non audebant autem progredi, cum ignorarent, an ſuperare illud nauigando poſſent nec ne, & propterea ſeſe demiſerunt ad orgyas ſeptem. Ablegauerunt ſcapham ſuam, exploratum profunditatem, ad quam quidem circa veſperam Hollandorum aliqui cum *Praw* ſiue nauigio aliquo ſeſe adiunxerunt. Cæterum cum ad Viceadmiralem porro progreſſi eſſent, ſtatum omnem in *Patani* ab illis cognouerunt, audientes ſimul duas naues, *Harlemium* nempe & *Lugdunum*, ex *Cauchin China* eo aduenisſe, & quod ſibi adhuc defuerat, ibi accepiſſe. Dicebant vero & hoc, *Harlemium* nauem inde digreſſam adeo læſam eſſe, vt redire ſtatim ad portum neceſſe habuerit, vbi etiamnum ſubſiſtens ſeſe vix contineret, bona ſua cérto certius in nauem aliam expoſitura.

Perueniunt ad portum Patani. Primo Nouembr. An. 1603. ob tranquillitatem nimiam ab anchoris hærere coacti ſunt, ſequenti poſtmodum die eo vsque progreſſi, vt vix quarta miliaris parte à portu amplius abeſſent, profunditatemque ibi habebant 6. orgyarum. Tertio die portum ingredi ſtatuebant, erat autem ſumma tranquillitas, quam tanta procella & tempeſtas exceperunt, vt ſeſe demittere rurſus proiectis ad quatuor leucas anchoris cogerentur. Cũ enim proſpicere ſatis non poſſent, & vero vadum quoddam ibi exiſtere audiſſent, progredi vlterius non audebant. Quarto deinde paulo amplius promouentes, anchoras ad tria orgya proiiciebant, loco vltra dimidium miliare à domo Hollandorum non diſtante.

Viceadmiralis ad ciuitatem Patani proficiſcitur. Eodem die Viceadmiralis cum quibusdam aliis ad terram aductus eſt, aſſumptis ſecum omnibus claſſicis, reliquis vero tormentorum diſploſione tertium repetita ſeum proſequentibus. Excenſione facta cum muneribus ſuis ad ciuitatem ſtatim profecti ſunt, quæ quarta miliaris parte à litore abeſt.

Ingreſſi

Ingreſſi autem domum Quæſtoris *Dato Siriuara* nomine,qui natione Chinenſis erat, iam vero morbo correptus decumbebat ; munera ſua, quæ erant panni Camelini duo, panni Coccinei dimidium, panni holoſerici rubri dimidium, tria ſpecula cryſtallina, & pocula aliquot vitrea Veneta, ibi depoſuerunt,quæ quidem à quodam *Orancaia Iurabaſſa* in tres partes diuiſa ſunt,ita vt holoſericum quidem cum maiori parte reliquorum munerũ Regina,reliquum vero *Sabander & Siriuara* acciperent. Hoc facto profecti ſunt ad aulã regiam,conſtituto aliquo,qui munera illa ipſis pręferret. Cogebantur autem per duas portas transeuntes gradus poſtmodum aſcẽdere ad locum,vbi *Sabander* cum proceribus reliquis congregatus erat. Depoſitis autem ad pedes eorum muneribus, ipſi in ſtragulo quodam ſiue ſtorea conſederunt. *Sabander* igitur & proceres reliqui cœperunt ſtatim eos interrogare de pugna,cum Luſitanis ad portum *Ior* habita, delectatiq; ſunt admodum commemoratione eius, cum Luſitanis non valde fauerẽt, & non ita pridem etiam frater Regis in *Ior* & *Rahu Bongso*, qui Rex eſt in *Siac*, Reginæ huius ſororem in vxorem duxerat, qui quidem *Ragia Siac* paulo ante aduentum Hollandorum inde ad Regem in *Ior* profectus fuerat.

Munera Hollandorum à proceribus quibusdam ad cubiculum Reginæ deferebantur,quæ ad quietem ſeſe tum compoſuerat, & Hollandis quidem interea *Betele* cum *Tubacca* appoſita ſunt, donec Regina euigilaret, quod vbi factum, ingreſſi ſunt ad eam proceres duo, vt aduentum Hollandorum ei ſignificarent. Cumque rurſus egreſſi eſſent, retulerunt, Hollandis Reginæ ſuæ nomine, aduentum eorum ei gratiſſimum eſſe ; & eam ſimul etiam, quæ de beneficio Regi in *Ior* exhibito commemoraſſent, libenter admodum audiuiſſe. Poſthæc apponebantur Hollandis patinæ quædam æneæ *Bonanis* repletæ, & tubicines Hollandorum claſſicum canere ſemel atque iterum iuſſi, magnam oblectationem proceribus crearunt. Poſtmodum Hollandi ad ædes *Sabandri* profecti, cum ex aula aduenisset, munera ei ſua obtulerunt, cumque conſediſſent, fructus ſimiliter aliquot recentes eis apponi iuſſit. Huic cum valedixiſſent ad ædes Hollandorum ſeſe recta contulerunt,vbi per noctem illam tandem requieuerunt. *Munera Hollandorum Reginæ oblata.*

Quinto Nouembr. ad domum Selandorum, atque inde porro in vrbem, ad domum Quæſtoris *Dato Siriuara* profecti ſunt, vt cum eo de pipere loquerentur,& quantum ibi adeſſet,qualique illud precio veniret, cognoſcerent. Per poſticum autem ædes illius ingreſſi inuenerunt eum in puluinari ante lectum ſuum ſedentem, vxores vero, liberi & mancipia eius circa eum ſedebant, itaque Hollandi ſedere iuſſi, longa ei oratione, quæ ad portum *Ior* cum Luſitanis accidiſſent, commemorabant, quæ omnia ipſi auditu grata & accepta videbantur. Cæterum de pipere poſtmodum interrogantes, & quantum in vrbe reperiretur, & quanti veniret, quæſiuerunt, qui reſpondit, ſe nullum piper habere,nec pro certo ſcire poſſe, quantum in vrbe eſſet, exiſtimare tamen mille plus minus *Baeren* reperiri. Iubebat igitur eos munera illa pręſtare, quæ alias facta conuentione præſtari ſolerent: hoc enim facto libere eos poſſe emere, quantumcunque & vbicunque vellent, dicebat, promittens, quod accepta pecunia ipſemet etiam partem ipſis procurare vellet. *Proficiſcuntur ad domũ Quæſtoris.*

Reſpondebant v. Hollandi, ſe peregrinos nullam mercatorum eius loci

 noti.

notitiam habere. Petere igitur vt de precio secum quamprimū trāsigeret. Promittebat igitur, se primo quoquo tempore cū Mercatoribus locuturum, & de valore siue precio piperis eos edoctum esse. Acquiescentes hac responsione Hollandi, discessum iam parabant, cum elixa oua aliquot, ficus item Chinenses, & fructus alios, cum potu *Aracka*, ipsis apponi curauit. Cum igitur cibo & potu sese refecissent, ad domum Selandicam progressi, & inde circa vesperam ad naues iterum reuersi sunt.

Viceadmiralis de valore seu pretio piperis cū Patanēsib. agit.

Sexto Nouemb. Daniel de Leck, quem Admiralis Neccius ibi reliquerat, virum quendam cum *Pravv* siue nauicula aliqua ad Viceadmiralem ablegauit, qui dicebat, se cum *Dato Siriuara* locutum fuisse de pipere, quod ibi reperiretur, qui existimare se dixisset, 800. fere *Baeren* posse Hollandos iam accipere, si aurum soluere pro tertia parte vellent. Dicebat autem Viceadmiralis, aurum se non habere, sed tantum argentum, cui vir ille, posse & argento solutionem fieri dicebat; dummodo valore illud vsitato & vulgo recepto facerent, quod Hollandis vero consultum non videbatur.

Sequenti igitur die in terram iterum descendentes, cum *Dato Siriuara* multis verbis de valore & precio piperis egerunt, vt & precium eius moderari, & de tributo etiam aliquid detrahere vellet, rogantes, qui solutionis partem tertiam auro fieri oportere multis contendebat. Recusabant id omnino Hollandi; & quot tandem Regales Octonorum siue Ioachimicos pro *Baere* vno soluere & numerare deberent, quęsiuerunt, qui dicebat 35. Videbatur hoc ipsis iniquum admodum postulatum, itaque ad domum Hollandicam sese tum recipientes, sequenti die reuersi sunt. Cæterum de precio quidem tandem inter eos transactum est. Quod autem ad tributum siue vectigal attinet, de eo nihil remittere voluit, coactiq; sunt quinque pro centenis, & *Maes* vnum siue duas tertias Regalis pro *Baeren* singulis ponderādis numerare, nec non munera vsitata pro licentia naues onerandi præstare. Instabant quidem Hollandi pro purgato bene & cribrato sibi pipere tradendo, verum promittere hoc ipsis nolebat, dicebat tamen, si à mercatoribus hoc obtinere possent, se quidem nihil repugnaturum, quamuis coacti quidem etiam non erant accipere, quod ipsis displiceret. Promittentes igitur sese munera, quæ præstari antequam piper acciperetur, oporteret, adornaturos ad naues reuersi sunt.

Accipiunt nuncium de quibusdam nauibus Hollandicis.

In itinere dum ad naues iterum aduehere ntur, inciderunt in *Iunkam* siue nauem aliquam ex *Iapon* venientem, in qua Lusitanus quidam erat, qui dicebat, se in *Pulo Cambir*, qui portus probe conclusus est in *Camboia*, fuisse, & duas ibi naues Hollandicas, *Erasmum* & *Nassouiam* inuenisse, quæ non procul à *Macau* nauem quandam Lusitanicam eximiæ magnitudinis, serico & aliis bonis oneratam, & versus *Iapon* velificationem facere volentem, expugnassent, exoneratamq; bonis omnibus igne cremassent. Cæterum 13. Nouemb. pręparatis iam muneribus suis ad terram iterum, vt licentiam siue veniam conuehendi ad naues suas piperis impetrarent, profecti sunt. Non poterant autem die illo propter tempestates & pluuias multum proficere, itaq; sequenti 14. die cum muneribus suis ad *Dato Siriuaram* euntes, munera sua attulerunt, quæ erant holosericum rubrum floribus pictum, tredecim specula, insignis poculorum vitreorum Venetorum copia, & pannus laneus rubro colore infectus. Hæc omnia ab *Orancaia Iurabassa* diuisa & distributa sunt pro dignitate personarum, quibus munera illa debebantur, quæ erant, Regina senior, *Radza Muda*, siue Regina

gina iunior, *Sabander, Dato Siriuara, Dato Idoch, Raga VVange, Dugga, Ragni, Sirindana, Manchaia, Iurabaßa*, & *Melemadiu*.

Cum igitur munerum illorum distributio facta esset, primo quidem ad Reginam, atque inde ad alios profecti sunt. Expetebant autem domum negotiationibus suis conuenientem, verum cum *Sabander* permittere nollet, vt in suo fundo habitarent, coacti sunt locum quendam sibi eligere in area illa, vbi Hollandi reliqui domum suam haberent. 16. Nouemb. aduecti sunt ad Viceadmiralis nauem Casparus Groenbergius, nauis *Harlemia* Procurator, & Daniel de Leck, volentes cum eo agere, vt piper suum ex naui *Harlem* ad suas naues translatum, vel *Bantam*, vel si fieri posset in Hollandiam secum aueherent. Cum igitur Hollandi intelligerent, non adesse ibi tantum piperis, quantum reperiri ibi initio ipsis dictum erat, decreuerunt prima occasione nauem vnam versus *Bantam* ablegare. Die 18. ad *Dato Siriuaram* denuo profecti, tertia iam vice munera ei offerebant, idque propterea, vt ponderandi licentiam impetrarent. Erant vero pannus linteus, & specula, poculaque vitrea aliquot, quæ omnia à *Brancaia Iurabaßa* accipiebantur, vt postero quidem die inter personas sequentes distribuerentur, quæ erant Regina, *Sabander*, *Dato Siriuara*, *Sirindana*, Libripene, *Orancaia*, & *Iurabazza*.

Munera Reginæ & aliis proceribus offerunt.

Die 19. Nouemb. Viceadmiralis cum muneribus illis ab vno loco ad alium profectus, vnicuilibet suam portionem offerri curauit. Interea vero etiam cum Casparo Groenbergio conuentum & transactum est, de pipere ex naui *Harlem* ad Viceadmiralis nauem transferendo, confectæque sunt literæ, quas vti subscriberent, Viceadmiralis quidem cum Casparo Groenbergio & Daniele de Leck instabāt. Die 21. ad nauem iterum aduecti sunt. Die 22. facta est literarū subscriptio, cœperuntq; Hollandi piper illud ad Viceadmiralis nauem transportare. Cum a. cœpissent domum ædificare, profectus est Viceadmiralis 23. die iterum ad Ciuitatem, vt eam primo quoque tempore perficiendam curaret. Circa meridiem profecti sunt ad Dominum Selandicæ domus, qui Chinensis erat admodum diues, eosque inuitauerat, vt Spectatores essent Comœdiæ cuiusdam Chinensis in domo illa exhibendæ. Nocte vero appetente ad naues iterum aduecti sunt, diebus aliquot parum efficientes. Die 27. Nouembr. misit Regina munera quędam ad Hollandorum domicilium, atque inter illa peculiare etiam aliquod Oryzę genus deferri curauit, quæ quidem Hollandi cum gratiarum actione acceperunt.

Piper ex naui Harlem ad Viceadmiralem transfertur.

Munera à Regina & Quæstore accipiunt.

Primo Decemb. Quæstor *Dato Siribara* ad domicilium Hollandorum bouem quendam, itemq; Capones aliquot cum multis ouis, malis aureis, nucibus Indicis & Olla Vino de Palma, quod ipsis *Aracka* dicitur, transmisit. Post meridiem Viceadmiralis iterum ad naues reuersus est, vt petulantiam quorundam ministrorum in naui coherceret. Toto autem hoc mense parum effecerunt, præterquam quod de purgando pipere cum incolis egerunt, quod impetrare tamen ab illis non potuerunt. Sed & partem piperis à societate Selandica emerunt, cumque Viceadmiralis piper illud ex naui *Harlem* accepisset, 20. statim Decemb. ex portu illo soluens, velificationem versus *Bantam* instituit. Reliqui vero in *Sepe Hollandica* omnem postmodum diligentiam adhibuerunt, vt piper in vrbe coemptum ad littus deferrent, atque ita tandem suam etiam nauem eo onerarent.

Viceadmiralis Bantam proficiscitur.

A primo Ianuarii Anni 1604. vsque ad 16. nihil fecerunt aliud, quam quod quantum piperis in domo Selandica purgare possent, ad nauem

ſuam per ſcapham aduexerunt, ementes etiam aliud hincinde in ciuitate, vt nauem ſuam eo citius onerarent atq; replerent. 16. autem die Luſitani & Turcæ quidam ex *Orieda*, Patanem terra venientes commercia ſua ibi exercere cupiebant. Veniebāt a. ad Hollandos & Turcæ q. dam ex *Gutzarata*, q. linguam Luſitanicam probe didicerant, & hiſtoriam omnē expugnatarum ad *Zeylon* Luſitanicarum nauium cōmemorabant, prædicantes Hollandos admodum hoc nomine, quod nec Turcis, neque Æthiopibus vim vllam inferre voluerint. Sed & poſt dies aliquot Luſitani ipſimet ad Hollandos venientes res varias emere cupiebant, verum cum non vsque adeo amice vt alii acciperentur, & nemo eſſet, qui ſermonem cum ipſis inſtituere longiorem vellet, facile in de animaduertere poterant, ſe non vsq; adeo gratos & acceptos eſſe, & propterea etiam nunquam poſthac reuerſi ſunt. Die 20. Ianuarii incolæ ciuitatis Elephantem ſylueſtrem domeſticorum & cicuratorum opera ceperunt. Die 22. duo filii *Sabandri* Hollandorum domicilium eos ſalutatum ingreſſi ſunt.

Perſa quidā Bantami habitans Hollandis commendatur.

Circa veſperam eiusdem diei miſit Quæſtor *Dato Siriuara* miniſtrum aliquem ad Hollandorum domicilium, petiitq;, vt ad ſe quamprimum aliquos mitterent, quod cum Hollandi feciſſent, nihil concernebat aliud, quàm quod incolam quendam *Bantami*, natione Perſam, ipſis commendatum volebat, rogabatq;, vt eum ſecum *Bantamum* aueherent, quod quidem Hollandi denegare ipſi non poterant, idq; eo magis, quod Perſa iſte paſſim notus, & in magna autoritate apud præcipuos quosq; non ſolum in *Patani*, ſed etiam in *Bantam*, *Iambi* & aliis locis erat, & nuper ex *Iambi* ad hanc ciuitatem *Patani* venerat, habebatq; notitiam aliquam medicinæ, ita vt pro Doctore ſeu Medico vulgo haberetur. Hollandi quidem tum temporis multa cum *Dato Siriuara* de tributo ſiue vectigali loquebantur, dicentes iniquum eſſe, quod cogerētur tributum perſoluere de illis rebus, quæ ad naues non deferrētur, nec etiam ex terra vel regione iſta exportarentur, quales eſſent piper vitioſum & puluis, quem nullo modo expeterent, ſed abiiciendum modis omnibus putarent. Verum ipſe ad hæc & ſimilia nihil reſpondit aliud, quàm neceſſe eſſe, vt facerent ſoluerentq;, quod feciſſent & ſoluiſſent ante eos alii.

Cæterum cum die 25. Ianuarii aream & capacitatem nauis fere compleuiſſent, placuit eis conclaue aliquod panibus euacuare, & pipere itidē complere, cum præſertim parum panis in conclaui iſto ſupereſſet. Quare adhuc 25. *Baeren* piperis ab *Orancaia Iurabaſſa* emerunt. Die 26. autem Daniel de Leck euacuatam nauem *Harlem* poſt domicilium Hollandicum abductam accendit & concremauit. Die 27. acceſſerunt adhuc ſemel ad *Dato Siriuaram* & proceres alios, vt nimirum ipſis valedicerent, & munera ſua poſtrema offerrent, quæ erant panni aliquot lanei rubro colore infecti & alia. Pro Regina autem in ſpecie accipiebant duo candelabra argentea & aliquot Roſas nobiles, cōſtituto ad hoc miniſtro, vt munera illa ſibi prȩferret. Cæterum cum in aulam regiam veniſſent, appoſiti ſunt ipſis fructus & cibi varii, proceres vero quærebant ex eis, quando inde ſoluere, & quo nauigationem ſuam dirigere vellēt? Sed & hoc quȩrebant, vellentne imposterum etiam ad portum *Patani* redire? promittentes eos quandocunq; reuerterentur, gratos & acceptos futuros. Poſt diſceſſum eorum ex aula miſit ſtatim Regina 29. die duos boues, & fructus varios duorum Elephantorum miniſterio ad domicilium Hollandorum, ſimiliter & 31. die à *Siri-*

Proficiſcuntur ad Reginam ei valedicturi.

uara

nara bos integer eis mittebatur, cum duabus ollis pipere viridi repletis, quod in Hollandorum gratiam condiri instar zingiberis curauerat.

Ieiunium Malaiorum.

Primo Februarii accersitum ad se *Sabander* mercatorem ex *Sepe Hollandica* primarium, pulcherrimo *Crits* seu pugione, nomine Reginæ donauit, atque ita amice ab inuicem discessum est. Circa vesperam tempore nouilunii, ieiunii sui signum Malaii, crebra sclopporum displosione, tympanorum pulsu, clamoribusque & vociferationibus inconditis dederunt, quod quidem ieiunium vsque ad nouilunium sequens durat, quo interdiu quidem omni cibo abstinent, nec quicquam, donec vespera adueniat, cõedunt. 2. Februarii cum in terram rursus procedere naui sua vellent, exorta subito tempestate, difficultas ipsis non exigua obiecta, & scapha quidem sequenti die ad naues iterum reuersa est. Cum autem de adiuncta cymba nihil referre possent, eam cum populo omni submersam metuentes, *Pravv* siue nauiculam exoticam emerunt, & cum Hollandorum aliquo cymbam illam quæsitum emiserunt. Circa vesperam autem veniebãt illi, qui in ea fuerunt, ad diuersorium Hollandicum, dicebantque, se cymbam illam in loco quodam sex miliaria inde distante reliquisse, vbi eam postmodum à Malaiis iterum recuperarunt. Eodem die mittebat ipsis Sabander bouem integrum cum multis fructibus. 6. Februarii Germani quidam ex Societate Danielis de Leck, cum peregrinis quibusdam *ex Sian*, nauiculam siue *Iunkam* aliquam ad Danielem de Leck pertinentem ingressi, *Sian* versus profecti sunt. Sequenti autem septimo Februarii omnem suam supellectilem, & quicquid in terra habebant, ad nauem traduxerunt, sese ad discessum modis omnibus parantes. Relinquebant autem quatuor personas apud Danielem de Leck, cumq; post acceptum in naui prandium sibi inuicem valedixissent, sociosq; illos cum Leccio in terram detulissent, post mediam noctem soluentes ex *Patani* abierunt.

Discedunt à Patani.

Qui ab ortu ad portum *Patani* veniunt, applicare possunt in eleuatione 7. graduum & 10. scrup. vbi dimidio quidem à terra miliari profunditatẽ 15. & 16. orgyarum depræhendent. De Ciuitatis autem huius qualitate, situ & commoditatibus, quemadmodum etiam de fertilitate loci, religione, moribus populorum, & aliis supra in descriptione nauigationis Iacobi de Neck, satis multa annotata sunt, vt commemoratione eorum hic supersedere possimus. Die 9. Februarii parum proficientes, sequenti die ad vallum iterum applicantes anchoras suas ad octo orgyas proiecerunt. Congregantur eo loco multi subinde piscatores, qui ex *Patani* ad duas vel tres leucas in mare sæpe excurrunt. Cæterum cum propter ventorum contrariorum vehemẽtiam parum proficere possent, subsititerunt hoc in loco ad 25. vsq; Februar. quo sublatis anchoris progredientes tantam statim tranquillitatẽ experti sunt, vt vix duos absoluere leucas integro die potuerint, cogerenturq; sese rursus demittere ad orgyas quinq;, dimidio fere à terra miliari. Die 26. oriebatur quidem ventus aliquis, verum non durabat, cogebãturq; sese iterum demittere ad orgyas 16. cum 4. vel 5. leucas absoluissent. Sequenti die ad leucas .3 vel 4. progressi, eleuationem sex graduũ habebãt.

Tertio Martii conspiciebant quinq; insulas ad quatuor vel quinq; leucas à vallo in eleuatione 5½. graduũ sitas. Videbant a. etiam nauem quandam, quam nocte illa assecuti *Iunkam* animaduerterunt esse ex *Sian* venientem, & *Bahim* versus cum multa oryza nauigantem. Hollandi illos acclamantes petebãt, vt aliquos ad naues suas transire paterentur, quod ab ipsis etiam factum, qui cum audirent, Hollãdos nihil detrimenti sibi inferre velle, ingenti afficiebantur lætitia.

Vident aliquot insulas.

Præ-

Præfectus autem eorum Chinensis erat, mittebatque die postero ad nauem Hollandorum quatuor saccos oryza repletos, duas itidem ollas *Aracka* plenas, cum gal inis & lardi frustis aliquot, quæ omnia Hollandis quidem donare constituerat, at illi naui aduecti precii eis quantum petebatur pro illis soluebant, atque ita amice sibi inuicem valedicentes abierunt. Quinto Martii, cum miliare vnum à terra abessent, duas videbant Insulas, ad quarum alteram vesperi applicantes, profunditatem 25. orgyarum inuenerunt. Distabat hæc Insula tres quartas miliaris à terra, altera vero propius ad terram accedens, eleuationem quinque fere graduum habebat. 7. Martii Insulam *Timon* videntes, mirari satis non poterant, quod tam longe iam progressi essent. Videntes autem se recto cursu Insulam illam assequi non posse, siquidem Euro vterentur, cursu versus Septentrionem directo, relictis ad dextram tribus Insulis, circa vesperam eam assecuti sunt, proiicientes anchoras ad 22. profunditatis orgyas. Veniebant autem ad nauem ex duabus Insulæ partibus aliqui cum nouem vel decem scaphis, Bonanes & pisces arefactos afferentes. 9. Martii habebant eleuationem duorum paulo amplius graduum, versabanturque prope Insulam *Bintam* leucas fere duas cum dimidia à terra. Habebant autem fluctus velocissimos, versus fretum de *Ior* properantes, videbantque *Pedro Bianco* & continentem de *Ior*. Dirigebant vero cursum suum versus Euroaustrum, quod paruam quandam Insulam viderant, vt nimirum eam eo cõmodius superare possent. Existimabant tum temporis se sub Æquinoctiali esse, cũ vero eleuationem explorarent, deerant ipsis adhuc 10. scrupula. Die decimo ingentem conspexerunt versus occasum Insulam, quam postea deprehendebant præcise sub Æquinoctiali sitam esse. Die 14. duas adhuc alias viderunt Insulas, ad tres miliaris vnius quartas ab inuicem distantes. 15. die erant prope Insulam *Linga* octo fere miliaribus à prædictis duabus Insulis distantem. Die 16. cursum suum in Euroaustrum dirigebant, vt Insulam *Banko* superarent, sed à fluctibus in sinum quendam sub Insula illa abripiebantur, videbantque post meridiem terram *Banko*, quam à superiori parte circumnauigare admodum nitebantur, cum ab inferiori parte, propter syrtes & breuia id non possent, quanquam incolis & Lusitanis iter illud vulgare admodum esset. Eleuationem quidem habebant duorum cum dimidio graduum, in parte Æquinoctialis meridionali.

Die 17. videbant duas rotundas, & non parum eleuatas Insulas, sex fere miliaribus à vallo distantes, versus meridiem vero plurimas alias cernẽtes, ad sinistram omnes relinquebant, veniebantque ad *Capo Monopin*, quod angulus est continentis terræ & mons valde eleuatus, vnde terra quidem Euroaustrum versus excurrit. Distat vero inde ad dimidium miliare exigua quædam Insula, quam ipsi quidem ad sinistram relinquebant. Cæterum cum circa vesperam plures sese ipsis aperirent Insulæ, progredi vlterius non audentes anchoras ad orgyas vndecim proiecerunt, habentes eleuationem trium graduum. Die 19. habebant eleuationem 4. graduum, & 25. scrupulorum. 20. die tempestatem procellarum, ventorumque maximam nacti vela sua contrahebant, erantque in altitudine 5. graduum. Die 21. cõspiciebant Insulam quandam triangularem versus ortum, eamque circa meridiem assecuti, paulo post continentem *Iauæ* viderunt, quæ erat angulus valde humilis & depressus, vbi appetente postmodum vespera anchoras ad 15. orgyas proiecerunt, integro fere miliari à terra. Die 22. videbant *Iunkam* siue nauem quandam ad vallum hærere, concipiebantq;

Vident terram Iauæ.

statim

ſtatim eiusmodi cogitationes, *Bantamum* etiam eam petituram. Sed & nauigium aliud videntes curſum ſuum verſus *Iunkam* illam alteram dirigere, ſcapham ſuam cum ſociis aliquot ablegarunt, vt cum hominibus illis loquerentur, ſi forte aliquid ex *Bantamo* cognoſcere poſſent, cum nauigium hoc inde venire putarent. Cum igitur Hollandi ad eos venirent, dicebant illi ſe biduo iam à *Bantamo* abeſſe, curſumque ſuum *Cherabon* verſus dirigere velle, affirmantes ſimul non niſi duas Hollandicas naues in portu ad *Bantam* iam hærere, quarum altera ex Moluccis Inſulis, altera ex *Patani* veniſſent, addentes & hoc, ante quatuor fere menſes naues quatuor ex portu *Bantam* ſoluentes Hollandiam repetiiſſe.

Circa meridiem videbant, *Iunkam* ſiue nauem illam priorem magna contentione ad nauem ſuam properare, vnde aliter cogitare non poterant, quam eſſe forſitan in ea aliquem ex ſuo populo, idque eo magis, quod contra ventum eos contendere tanto feruore viderent, itaque ſcapham ſtatim ſuam eis in occurſum mittebant, & ipſi etiam cum naui ſua paululum à terra declinabant, cum alias impoſſibile videretur, vt ſcapha illa nauem iterum aſſequeretur, quæ reuerſa retulit, homines in *Iunka* illa dixiſſe, ſe ex *Cherabon* veniſſe, & commeatus inopia laborare. Petere igitur ſibi oryzæ aliquantulum ſuppeditari, ſiquidem Hollandos eos eſſe cognouiſſent. Verum Perſa ille, quem Hollandi ſecum in naui habebant, nauem pyraticam eam eſſe dicebat, quæ in littore iſto plerunque oberrare ſolerent.

Circa veſperam ingens exorta eſt tempeſtas, & per diem vnum atq; alterum continuata mirifice eos retardauit. Sequentibus autem diebus vſque ad 29. Martii vento plerunque auſtrali vtentes, venerunt eo die ad ſyrtes & breuia ab occaſu *Iaquetræ* ſita, ſeque ſub veſperam ad extremum Inſulæ iſtius ſubmiſerunt, profunditatem 18. orgyarum depræhendentes. Sequentibus ſeptem diebus propter ventorum aduerſantium, & fluctuum vehementiam, parum proficere potuerunt. Quinto autem Aprilis aliquantulum progreſſi, circa veſperam cum ſeſe ad 50. orgyas demiſiſſent fretum *Sundæ* viderunt. Sexto Aprilis progreſſi iterum ad portum Inſulæ *Pulo Paniam* ſub occaſum Solis peruenerunt. Aberant autem adhuc dimidio miliari à *Bantam*, cum ſcapha Viceadmiralis ad eos veniens ſalutem à Viceadmirali attulit. Cognouerunt autem ab illis nullas adhuc naues ex Hollandia ad portum illum appuliſſe, atque ita tantum *Ziricſee* & *Anſerem* naues ibi adeſſe, quæ cum vecturam plenariam accepiſſent, conſtituerint, niſi ipſi intra tres vel quatuor dies aduenisſent, inde ſoluere, & in patriam velificationem dirigere. Dicebant autem Admiralem Warwiccium inde *Iortan* verſus abiiſſe, cum 5. nauibus, quæ fuerint *Hollandia, Sol, Luna, Vliſſinga* & *Aries*, conſtituiſſe vero inde velificationem verſus *Ior* dirigere, aut, ſi ventus id non permitteret, *Moluccas* Inſulas petere, quo Celocem *Pſittacum* cum pecunia & mercibus aliis Caryophyllos & aromata alia coemptum iam præmiſerant. Sed & cum aliquot nauibus *Chinam* excurrere Admiralis conſtituerat. Die Aprilis ſeptimo, Anni 1604. portum *Bantami* ingreſſi multa tormentorum diſploſione accipiebantur. Atque huc vſque hiſtoriam hanc ex Iohannis Hermanni conſignatione deſcrpiſimus. Hic enim grauiſſimo correptus morbo, cũ nihil annotare amplius poſſet, in eius locum Franciſcus Steinhauſen ſucceſſit, ex cuius relatione continuationem hiſtoriæ huc referemus. Octauo igitur Aprilis Hollandi ex *Sepe Hollandica* cũ Viceadmirali ad ciuitatẽ profecti ſunt, vt attri-

Nuncium à Viceadmirali accipiunt.

Veniunt ad Bantam.

butum ſibi locum viderent, vbi à Chinenſibus duo ædificia lapidea ſumptu Hollandicorum procuratorum extructa erant, vt pecuniam & merces ſuas ab incendio ibi vindicarent. Diebus ſequentibus 9. 10. & 11. piper emerunt & ad naues ſuas traduxerunt. Die 14. Aprilis Chineſem quendam in vrbe pugionibus cõfecerunt, ſupplicium hoc ideo de eo ſumẽtes, quod monetam adulterando Regales Octonorum Hiſpanicos præſciderat. Die 16. Conſanguineus Regis *Pangram Sabranlor* naues eorum conſcendit, quẽ frequenti tormentorum diſploſione exceperũt. 18. autem Gualtheri Giſberti filius vna cum Sebaſtiano de Saul Æthiope quodam, quem ſecum in naui habebant, & Iauano quodam, qui Ciuis in Bantam erat, crudeliter circa veſperam, inter pocula ab Æthiope quodam Domum Anglicam inhabitãte interfecti ſunt, qui quidem 20. poſtmodum die propter hoc factum ſupplicio affectus eſt.

Luſitani iterum ad portum Ior perueniunt.

Eodem die nuncium accipiebant ex *Ior*, quod nimirum tertio vel quarto poſt ſuũ diſceſſum die, duæ iterum triremes ex *Malacca* eo aduenisſent, quæ Regem cogerent, vt à ſuis partibus eſſet, portum ſuum Hollandis præcluderet, & naues ſuas ex *China* aduentantes deduceret, commeatuque præſtito à periculis eas in mari tueretur. Sperauerant quidem claſſem ſuam ab Hollandis diſſipatam adhuc ibi iuuenire, ſed non auſi fuerant portum *Ior* intrare, & ad oppidum *Batuſabar* applicare, metuentes ne forte ab Hollandis ibi opprimerentur. Subſiſtẽtes igitur in mari naues ſuas ex China aduentantes expectarunt, vt eas tuerentur & deducerent, quæ tandem ad eas etiam aduenerunt, vna quidem 17. altera vero 19. & tertia 25. Februarii diebus, vbi altera alteram expectarunt, vt maiori cũ ſecuritate poſtmodum *Malaccam* progrederentur. Antequam autẽ inde diſcederent, legatum quendam cum literis nomine Andreæ Fortado Gubernatoris in *Malacca* ad Regem in *Ior* ablegarunt, vt pacem cum eo facerent. Erantque

Literæ Gubernatoris Malaccæ ad Regem in Ior.

literę iſtæ in hanc ſententiam conceptæ: Ego Andreas Fortado de Mẽdoza, Generalis partis Indiæ auſtralis, Præfectus maior Claſſis Regiæ & Gubernator in *Malacca*, &c. Regi in *Batuſabar* Salutem precor. Poſtquam præterito menſe Iulio Anni 1603. cum claſſe mea ex *Moluccis* Inſulis *Malaccam* aduenisſem, & 1. Septembris die prouinciam meam aggreſſus ſum, regiones *Ior* & *Malacca* quietas ante hæc tempora & bona pace fruẽtes, iam diſſidentes, & bellum inuicem gerentes depræhendi. Quare intermittere nõ potui quin Regem admonerem, vt, ſi Pax & tranquillitas ſuorũ ſubd torũ curæ ſibi ſit, legatum quendam, cum quo de pace iterum confirmanda a-

Rex in Ior ad literas Gubernatoris reſpondet.

gere posſimus, *Malaccam* mittere non recuſet. Ad has literas à Rege in *Ior* reſponſum eſt, literas ab Andrea Fortado ſeſe quidẽ accepiſſe & cũ gaudio perlegiſſe, ſenſum autẽ earum non potuiſſe recte percipere. Quod ſi vero pax Malaccenſibus cordi ſit, iuſſit eos mentẽ ſuã per literas explicare & articulos ſiue conditiones, quibus pacem fieri poſſe putarent, ſibi transmittere. Legatus Malaccenſis per literas nomine Andreæ Fortado ſtatim in hanc ſententiã reſpondet. Literas Regis cũ gaudio ſeſe accepiſſe & ex illis cognouiſſe Regẽ quidẽ pacem bello præferre, quæ quidem facile conſtitui poſſet, niſi cauſa quædam ſupereſſet, quæ eam impediret. Significat igitur Regi, pacem firmam cum eo, niſi cauſa illa ſublata, fieri nõ poſſe, quæ eſſet, quod Rex clauem quaſi Regni ſui Hollandis tradidiſſet. Eã igitur Rex ad ſe iterũ recipiat, & Hollandos, qui in *Ior* eſſent, vel ad ſe trãsmitteret, vel ſi id conſultum non videretur ipſemet eos interficeret, & bona eorum inter ſubditos ſuos diſtribueret. Hoc enim niſi fieret, pacem inter *Ior* & *Malaccam* fieri non poſſe.

Rex

Rex acceptis hisce literis, ita rescripsit: Postquam tuas accepi literas, earumque sensum probe intellexi, facere non potui, quin tibi responderem, me pacem quidem ea qua petis conditione acceptare non posse. Nā antequam ego Hollandos sub mea protectione in *Batusabar* viuentes per proditionē in manus tuas venire paterer, totā potius regionē vastari meā permitterem. In testimonium autem veritatis, vt scias hanc vere meam sententiam esse, mitto tibi annulum aureum, cuius indicio me tempore necessitatis, si forte in acie dimicādum fuerit, cognoscere possis, & vt mihi similiter signum aliquod, quo te cognoscā, transmittas, expeto. Dignæ fuissent literæ tuę, ad quas copiosius responderem, sed labore isto in præsentia supersedendum arbitror. Quod si vero responsum prolixius desideras, necesse est vt cum nauibus vestris ad propugnaculum & oppidum meū *Batusabar* venias. Hoc vbi feceris, spero me tibi in omnibus satisfacturum. 8. Februarii Anno 1604.

Acceptis hisce literis Andreas Fortado signū q̄ petierat Rex trāsmisit, quod erat pileus cinerei coloris cristatus, cum acinace seu gladio Turcico. Post hanc autem tractationem cum naues Lusitanorum ex *China* aduenissent, *Malaccam* omnes abierunt. Rex autem in *Ior*, post illorum discessum, de munitionibus & armis necessariis sibi prospexit, vt resistere aduenientibus forte Lusitanis commode posset. Optādum autem esset, vt Hollandi ibi cū consensu Regis propugnaculum aliquod extruerent: hoc enim excludendis penitus Lusitanis, & commerciis exercendis admodum conueniens esse posset.

Die 21. Aprilis Anni 1604. Hollandi omnes cum tribus suis nauibus, nempe *Ztricksee*, *Sepe Hollandica*, & *Ansere*, ex portu Bantamio soluētes, cursum suum versus angulum australem *Sumatræ* direxerunt, vt aquam ibi & fructus recentes acciperent, & de rebus ad iter necessariis aliis sibi prospicerent. Cumque circa vesperam eo aduenissent, aurantiorum, lemoniorū, carniumque & aquæ recentis, quantum sufficere tam diuturno itineri videbatur, sibi compararunt, atque ita tandem iter versus patriam ingressi sunt. Fuit hoc iter ipsis admodum difficile, nam non solū procellas & tēpestates, sed etiā morbos varios maxime vero dysenteriā experti sunt, qua nō pauci interierunt, in quorum numero fuit etiam Ioannes Hermānus mercator primarius, ex cuius, vt supra dixi, consignatione historiam hanc descripsimus. Hic enim 1. Iunii die, Anno 1604. vna cum quibusdam aliis, vitam cum morte commutauit, vnde coacti sunt etiam ad terram proximā applicare, postquam in multa miseria nauigationem vsque ad 24. Augusti continuassent. Venerunt autem tum in sinum quendam, sub eleuatione 42. graduum, nō procul à Capite Bonæ-spei remotū, stationem commodam & oportunam inuenientes. Offendebant autem ibi homines pauperes & fœdos, nudo prorsus corpore incedentes, excepto, quod pallium vel amiculū ex pellibus ouinis consutum, à collo suspensum & caudā vulpinā pudendis præcinctam habebant. Quidam eorum annulos cupreos & elephantinos in brachiis gestant, sonum gallinarum Calecutensium inter loquendum edunt, & corpus adipe inungunt. Abundat autem locus iste ouibus, quibus cauda tam crassa est, vt armum ouilem pondere æquare videatur, atque ita quinque partibus oues constare dicas. Habent præterea boues & pecudes alias. Hollandis multa ab hominibus istis beneficia exhibebantur, qui etiam non armati eos accedebant, & per dies aliquot cum illis commorabantur.

Soluunt ex portu in Bātam.

Iter in patriam ingrediuntur.

Ioannes Hermannus huius historiæ consignator moritur.

Sinus Sancti Brasii.


Mortuorum in singulis nauibus numerus. Interea dum in loco illo hærerent, etiam Viceadmiralis eorum Iacobus Petri Enchusanus mortuus est, 19. nempe Septembris die, qui in terra etiam ibi honorifice sepultus est, & quidem ab illo tempore, quo ex portu Bantami soluerant vsque ad præsentem hunc diem in *Sepe Hollandica* 31. in naui *Zirickses* 35. & in naui *Ansero* 10. viri morte extincti fuerant. Die 27. Septemb. ex sinu illo, quem *Sancto Brasso* vocant, iterum soluentes, caput bonæ spei inter multas procellas & tempestates præteruecti sunt, vbi similiter multos boues ouesque permutatione varia ab incolis acceperunt. Hinc postmodum ad Insulam Sanctæ Helenæ, duodecim miliaria versus Septentrionem à *Capo de Buona Esperanca*, sub eleuatione 33. graduum, & 50. scrupulorum distantem, die Nouemb. 8. Anno 1604. atque inde porro *Domum reuertuntur.* domum felici successu appulerunt. Quod quidem iter à S. Helenæ Insula in Hollandiam cum nauigantibus sæpe frequentatum, atque descriptum extet, pluribus hic annotare operæ precium non videtur.

NAVIGATIONIS HVIVS FINIS.

DESCRI-



DESCRIPTIO NAVIGATIONIS A CORNELIO NICOLAO AD ADMIRALITATEM SIVE PRÆFECTVRAM IACOBI NECCII PERTINENTIS, quatuor annorum decursu in Orientali India perfectæ.



ANNO CHRISTI 1600. die 28. Iulii, *Texelia* soluentes 6. naues, quibus tanquam Admiralis Præfectus erat Iacobus Neccius, Orientalem Indiam petierunt. 1. Octobris die ad portum *Annabonæ* peruenerunt, vbi & aquam recentem, & mala aurea, fructusque & cibaria alia bona cum incolarum venia abunde acquisiuerunt. Cum autem inde iterum discederent, in duas partes, vt iter suum rectius absoluerēt, diuisi sunt, Admirale quidem tres naues secum retinente, Viceadmirale vero cum tribus reliquis progrediente, cuius quidem historiam breuiter hic annotabimus. *Quot naues & quando iter ingressa.*

Nihil autem toto ex *Annabona* vsque ad *Sumatram* itinere, notatu dignum accidit. Verum 12. Iunii, Anno 1601. quidam cum scapha ad littus progressi sunt. Reuertentes autem tres ex sociis suis in littore reliquerant, quod non facile appellere, & vero nihil mali de incolis suspicari possent, cum sese humanos admodum & beneficos declararent. Verum cum postea ad littus iterum adueherentur, vt socios suos reciperent, neminem inuenire poterant, coactique sunt illis post se relictis discedere. Venientes autem 31. Iulii ad portum *Iaua*, scapham quidem Viceadmiralis multis armatis instructam 4. Augusti die *Bantam* versus ablegarunt.

Die 5. Augusti iter omnes *Bantamum* ingressi sunt, sed parum proficere poterant. Veniebat autem eodem die ad eos scapha quædam de naui Hollandia, significabatque socios suos ad *Bantam* hærere cum nauicula quadā, quam *Columbam* vocarent. Die 9. omnes ad *Bantam* venientes per 11. dies ibi substiterunt, nauigationemque postmodum die 20. Augusti, cum naui quadam *Lugdunum* dicta, *Chinam* versus profecti sunt. Sequenti die tantam Insularum frequentiam viderunt, vt illis numerandis non sufficerent. Die autem 26. obtulit sese conspectui eorum Insula *Lucifare*, videbantque post horas tres terram *Sumatra*, appellentes circa vesperam ad Insulam *Manka*, non procul à *Sumatra* distantem. Die 28. ad vadum aliquod delati, à profunditate 10. orgyarum vsque ad tres peruenerunt. Die 29. assecuti sunt Insulam *Banka*, cumque duas adhuc Insulas ibi vidissent, progressi ad Insulam *Polo Kandoor* die 9. Septembris applicarunt. Die 10. Septemb. viderunt continentem de *Kamboya*, & circa vesperam littus eius assecuti sunt. Die 15. habito consilio quidam eorum cum scapha ad terram aduecti, *Veniunt ad portum Bantami.* *Chinam versus proficiscuntur.*

populum nullum animaduertere poterant, tametsi multa bubalorum vestigia viderent. Sequenti die ad littus iterum aduecti quatuor viros viderunt, qui ad eos tamen venire recusarunt. Die 17. viderunt tres *Iunkas* siue naues pyraticas in littore oberrantes, eorum qui piscatores ad littus *Chinæ* capiendis piscibus operam dantes, compræhendere & abducere, postmodumque diuendere, & in seruitutem redigere solent, veluti Chinensis interpres eis referebat. Hollandi quidem scapha ad eos progressi, eorum explorare animos volebant, verum cum hostes sese declararent, illis relictis, iterum progressi sunt. Circa vesperam ad angulum quendam delati, aquæ dulcis fluuium inuenerunt. Die 26. sublatis anchoris progressi parum profecerunt. Delati autẽ ad fluuium, homines eos expectare nolebant, donec interpretem Chinensem, quem Hollandi secum habebant, viderent aliquid in arena scribere, tunc enim venientes eos præ gaudio amplectebantur, siquidem ex scriptura Chinensi facile quales essent, percipere potuerant. Vesperi quidam ad naues ex terra illa adueniens, cum Hollandis per noctem illam remansit. Die 28. fluuium illum ingressi sunt, cumque se demisissent, accedentes aliqui eos paulo amplius progredi iusserunt, quod ipsi tamen nauibus suis facere non poterant. Die 29. Legati quidam ad naues venientes literas à Gubernatore attulerunt, cumque in terram iterum descenderent, Hieronymus quidam vna cum duobus interpretibus cum eis profectus est, quem Gubernator quidem amice admodum excepit. Die 1. Octob. Hieronymus ille ad naues iterum reuersus, mercatores quidem aduentantem Gubernatorem excipere iussit, quod quidem etiã magna cum solemnitate factum est. Gubernator ille circa vesperam cum triremi sua ad littus iterum progressus est, Hieronymo illo vna cum duobus illis interpretibus, eum comitantibus. 3. autem Octob. ad naues reuersus, virum quendam adducebat, quem precibus suis à morte liberauerat, ad quam propter confractum poculum vitreum condemnatus fuerat. Die 20. Admiralis ex *Lugduno* naui cum scapha quadam fluuium ascendit, reuersusque 23. die cognatum Regis adducebat, cum quo post moram exiguam iterum abiit, vestimentis & rebus suis omnibus secum, quod non parum omnes mirabantur, assumptis. Die 25. nuncium mittebat ad nauem cum literis, quibus vasculum aliquod puluere tormentario repletum sibi transmitti expetebat. Cæterum voti sui compos factus, vsque ad 15. Nouembris emansit, quo die cum rebus suis omnibus ad naues reuersus est. Cogebantur autem imminuto non parum commeatu, eius inter personas distributionem facere, ita vt quilibet 2½ libras panis cum paululo olei in septimanam acciperet. Die 23. Admiralis ille cum Chinense quodam, qui per tres vel quatuor dies in naui fuerat, iterum abiit, reuersusque est die 23. Decemb. Die autem 30. adueniens ad nauem Gubernator splendide ad naues acceptus est. Circa vesperam autem versus pagum quendam piscatorium regressus est. Cumque sequenti die ad nauem reuersus esset, circa vesperam Admiralem illum cum mercatore nauis *Lugduni* primario secum ad terram traduxit.

Admiralis ex naui Lugduno in terram descendit.

Die 12. Ianuarii, Anno 1602. incolæ istius loci naues per proditionem circumuenire, quod ipsis tamen non successit, sed Hollandi tamen 23. socios amiserunt, nempe 12. ex naui *Harlem*, & 11. ex naui *Lugduno*, quos ad littus spe accipiendi bubalos aliquot, inuitauerant, cumque in terram descendissent, crudeliter eos interfecerunt. Duodecim illos in naui *Harlem* veneno interfecerant, cum quidam allatum aquam recentem abiissent.

Hollandi quidam per proditionem interfecti.

Die

Die 13. mittebat Admiralis literas ad Hollandos, expetens vt Procuratorem quendam sibi transmitterent, aliumque in locum eius reciperent, qui in terram sese descendere nolle dicebant. Sequenti 15. die Hieronymus ille cum Chinense quodam, qui vexillum pacificum in manu gerebat, in littore sese ostentans, ad naues statim ab Hollandis receptus est. Conabatur autem ipsis persuadere pacem in terra esse, acceptoq; panni fasciculo, sequenti statim die in terram iterum vna cum Chinense illo descendit. Die 18. reuersus est cum literis Admiralis, quibus ille referebat, se detineri ab incolis illis, qui pro sui redemptione ex singulis nauibus duo tormenta ænea peterent. Hollandi hoc audientes, se primum ex portu discedere, & postea ipsis respondere velle dicebant, cumq; hoc fecissent, circa vesperā scapham illam ad littus remiserunt, tribus præcipuis viris, quos alicuius dignitatis esse putabant, secum in naui retentis. Die 19. interpres Gerhardus Klumpfius ad naues aduectus, literas ab Admirali afferebat, quibus perscriptum erat, non debere eos in terram descendere, nisi tormenta illa, antequam vespera facta esset, in terram deponere vellent. Expetebant autem etiam captiuos sibi liberos dimitti. Hollādi igitur scapha ad littus aduecti captiuos illos secum ducebant, vt incolis testatum facerent, si Admiralem interfecturi essent, idem ipsis ex lege talionis expectandum esse. Laborabant incolæ magno conatu, vt captiuos illos reciperent, verum Hollandi persuaderi non poterant, vt eos dimitterent, donec Admiralem suum & ipsi reciperent. Proiiciebant igitur tandem literas ad littus, quas Admirali traderent, & ad naues iterum sese recipiebant. *Admiralis ab incolis detinetur.*

Sequenti die interpres alter, *Loukaius* nempe, in littore se ostentans ab Hollandis ad naues receptus est. Habebat autem literas Admiralis, quibus referebat se bene à Gubernatore habitum esse, petebatq; vti tormenta illa cum captiuis, quos secum haberent, in terram deponerent. Respondebāt Hollandi, siquidem aliter fieri non posset, deberent incolæ duas scaphas in littore solutas dimittere: velle enim sese illas ad naues suas aduectas, tormentisque & captiuis illis oneratas in fluuium traducere, & in tuto loco collocatas relinquere, ne quid sibi incolæ ab Hollandis timere necesse haberent. Die 21. literas ab Admirali alias accipiebant, quibus significabat scaphas in littore duas solutū iri, quibus ad tradenda tormenta vti possent, quod cum 22. postmodum die factum esset, traductas illas ad naues suas Hollandi, duobus tormentis ex naui *Lugduno* acceptis onerabant, & ad littus suis scaphis deducebant. Quo facto Admiralis vna cum mercatore nauis *Lugduni* primario, ab incolis dimissi, & ad naues reuersi sunt. Sequenti autem die habito consilio cum nauibus suis portum iterum ingressi sunt. *Admiralis ex captiuitate liberatur.*

Die 4. Febr. venit ad naues Gubernator quidam alterius loci, qui Hollandos quidem ante hæc tempora de proditione hac admonuerat, cui tamen ipsi fidem habere recusarant, nihil mali sibi ab hominibus illis metuētes. Primo & 2. Martii, proditor ad naues matutinis horis veniens sub vesperam iterum recessit. Die autem 14. profectus est Hieronymus ille cum Procuratore quodam, duobus interpretibus & proditore versus *Tarchim*, vt piper ibi emerent. Die autem 16. venit ad eos *Iunka* siue nauis quædam Chinensis, quæ postmodum fluuium ascendendo ad vrbem vsque, vbi negotiationibus suis operam dare homines isti solebant, progressa est. Homines iuxta fluuium *Sensie* habitantes, cum forte iter aliquod suscipere & peregre abire cupiunt, acceptis gallinæ alicuius pedibus, ad Hariolum sese conferunt, rogantque, an iter hoc sibi prosperum fore putet, quod si minus

nus prosperum fore dicat, illud non ingrediuntur, sed ad tempus aliud differunt.

Veniunt ad Kayhan.

Cæterum soluentes ex flumine illo, postquam omnes ad naues iterum reuersi essent, abierunt, vbi nihil notatu dignũ ipsis euenit, donec circa 8. Nouemb. ad *Kayhan* peruenerint: ibi enim admonebantur, vt sibi ab insidiis cauerent, quas Rex in *Kayhan* nauibus ipsorum parasset. Die 15. venerunt ad naues Legati Regis in *Kayhan*, dicebantque debere eos in terram descendere, & piper illud quod Admirali suo Rex pro accommodata pecunia quadam adhuc debebat accipere. Hollandi igitur cum scaphis ad littus aduecti sunt, verum cum incolas effugia varia quærentes id agere viderent, vt Nauarchum & mercatorem caperent, nec vero piper vllum offerri sibi cernerent, conuerso itinere ad naues suas iterum reuersi sunt. Die 17. cum duabus scaphis ad *Kayhan* iterum aduecti, an piper sibi debitum reddere vellent, quærebãt? Cumque nihil obtinere sese posse viderent, facta excensione, cum armis probe instructi essent, direpto & incenso oppido isto ad naues redierunt.

Perueniunt ad Patani.

Die 21. velificatione continuata circa 28. Decemb. ad littus *Patani* applicarunt. Aduenit autem statim *Pravv* siue nauigium quoddam à Rege in *Bordelon* ad naues eorum missum, eis significans, Admiralem eorum Iacobum Neccium ibi fuisse, & viros quosdam, qui commercia exercerent, ibi reliquisse. Die 1. Iulii Anno 1603. duæ adhuc naues aliæ ad portum *Patani* peruenerunt, quæ ex Hollandia soluentes, in *Chinam* nauigare volebant: itaque cum oryza sese sufficienter instruxissent, inde iterum soluerunt, nostris ad 6. vsque Septembr. ibi permanentibus, donec vecturam plenariã accepissent. Cæterum cũ 6. Septem. inde soluissent, sequenti statim die applicare ad littus iterũ coacti sunt, quod animaduertissẽt nauẽ suã absoluendo itineri sufficere non posse. Itaque tormentis & bonis omnibus ad *Lugdunum* nauem translatis euacuatam illam in littore reliquerunt. Die 21. Septembr. Regina in Patani cum multis aulicis & magno comitatu ad littus processit, sed nauem tamen conscendere noluit. Rex vero iunior in *Ior* cum Nobilibus aliquot nauem ingressus, & ad vesperam vsque ibi commoratus est, cumque iterum discederet, multa eum tormentorum displosione prosecuti sunt. Die 24. Septemb. ex portu soluentes reditum in patriam pararunt. Die 15. Nouembr. venerunt ad portum *Bantam*, ad quos 17. Decemb. in portu illo venerunt Cornelius de Vena, & Erasmus Roterodamensis, qui in *China* fuerant, & ingentem ibi nauem Lusitanicam expugnatam bonis omnibus exonerauerant. Die 27. Ianuarii, Anno 1604. vna cum tribus nauibus ex *Bantam* soluentes, velificationem in Hollandiã direxerunt. Erant autem naues istæ, *Nassouia, Roterodamum, Sturnus* & *Lugdunum*. Nihil vero in itinere notatu dignum eis accidit, reuersique sunt in Hollandiam die 30. Augusti, postquam vltra quatuor annos domo abfuissent, ad portum *Texeliæ* applicantes.

NAVIGATIONIS HVIVS FINIS.

BREVIS



BREVIS DESCRIPTIO NAVIGATIONIS, QVAM CORNELIVS DE VENA IN INDIAM ORIENTALEM duorum annorum spacio perfecit.

ANNO Christi 1602. die 17. Iunii, naues *Texelia* nouem, *Amstelrodamum* partim, partim vero *Enchusiam* pertinentes, soluerunt, Indiam Orientalem petituræ, quibus sese adhuc tres aliæ *Roterodamum* pertinentes coniunxerũt, vt iter illud eo melius perficerent. Naues hæ cum 12. Octobris ad portum *Annabonæ* peruenissent, Hollandi armata manu in insulam processerunt, aquam recentem & fructus alios inde per vim ablaturi. Hispani hoc videntes magna alacritate principio repugnabant, ita vt etiam 7. vel 8. ex Hollandis trucidati occumberent, qui tamen tandem, in fugam conuersis Hispanis, aqua non solum, sed & malis aureis fructibusq; aliis magna copia potiti sunt. Permanserunt autem ibi vsq; ad 22. Octob. quo die inde soluentes, cursum suum versus *Capo de buona Esperança* direxerunt, quod cum assecuti essent, terra de *Agasembras* sese ipsis aperuit. Vnde 15. Decemb. cursu in Austrum directo, vento vario ad 18. vsq; Aprilis diem anni 1603. vsi sunt, quo Insula *Sumatra*, & Insula alia *Drome* dicta, oculis eorum sese obtulerunt. Hinc progressi portum *Bantami* 29. Aprilis assecuti sunt. Cæterum cum omnes *Bantami* essent, duæ naues vna cum Celoce aliqua ab illis discesserunt, cursu suo *Chinam* versus directo, vbi nauem quandam Lusitanicam expugnarunt, vt paulo post dicetur.

Die 6. Iunii naues illæ duæ vna cum Celoce ex *Bantam* soluerunt, cursum suum *Sukataram* versus, atq; inde versus *Sumatram* ad fretum *Balimboam* dirigentes. Die 21. assecuti sunt Insulam *Poulou Timou*, vbi fructus, cibaria & aquam dulcem acceperunt. Die 23. circa vesperam in *Pahan* venerunt, vbi à Rege amice admodum accepti sunt. Die 1. Iulii portum *Patani* ingressi sunt, cumque de oryza & nauta quodam Chinense sibi prospexissent, qui eos in *Canton* Chinæ perduceret, soluentes inde iterum ab 11. Iunii, ad 30. vsq; progressi sunt, ita vt nihil notatu dignum illis accideret. Venientes autem eodem die ad *Makau*, nauem quandam Lusitanicam offenderunt, quæ mercibus variis onerata *Iapan* versus nauigare instituerat. Erat hæc nauis serico & holoserico aliisq; preciosissimis Indianis mercibus abunde onusta, itaq; Hollandi non parum lætitiæ visa ea perceperunt. Cõtra vero Lusitani mœrore afficiebantur, videntes Hollandos sese ad oppugnandam nauem istam parare & armare. Cum igitur animaduerterẽt, se non satis virium ad resistendum habere, fugam statim arripientes absque omni reluctatione cum scaphis suis ad terram properarunt, naui illa cum bonis omnibus, & viginti Æthiopibus Hollandorum direptioni relicta, qui Æthiopes quidem ad littus deposuerunt, nauem autem secum abduxerunt, quam cum à secundo ad 9. vsq; Augusti diem bonis omnibus exonerassent, 10. tandem Augusti igne cremarunt.

Hollandi nauem quandã Lusitanicam expugnant.

Hac accepta præda, conuerso statim itinere *Bantamum* reuersi sunt. Incidentes autem 18. Septemb. die in *Iunkam* siue nauem aliquam insignis


capacitatis, deditionem eis imperabant, Lusitanos esse rati, qui deditionē quidem facere nolentes ad repugnandum sese modis omnibus parabant. Cum igitur Hollandi sclopis & bombardis eos petere cœpissent, non segnes ipsi par pari referre, pilasque plumbeas, & sagittas veneno tinctas remittere videbantur. Itaq; Hollandi hoc videntes ad tormenta statim conuersi fragorem maximum excitarunt. Verum ne sic quidem obtinere poterant, vt deditionem facerent, quare apertum iam aggressi sunt cum eis certamen, qui iaculorum proiectione, aliorumq; armorum vsu frequenti Hollandis tantopere repugnabant, vt de victoria desperantes, omnem suam fiduciam in bombardis & hastis longioribus ponendam censerent. Ingenti igitur vi in nauem illam irruentes, obuium quenq; trucidabant, vt ita 70. vel amplius ab illa parte caderent, vno saltem ex Hollandis interfecto, & 25. personis vulneratis, quorum 5. à proprii tormentarii pulueris fortuito incendio misere deformati fuerant.

Die 19. producebant Præfectum & alios nauis illius iam expugnatæ ministros ad naues suas, vt statum & conditionem eius cognoscerent, dicebant autem, se *Siam* versus velificationem facere decreuisse, & ex *China* venisse. Sed & qui in naui illa superfuerāt, omnes culpā huius tam cruentę cōcertationis in Præfectū transferebāt, qui, accepta mercede sua, in pugna illa occubuerat. Diues erat hæc nauis admodum, abundabatq; serico, holoserico & panno alio gossypino. Verum cum Hollandi cognouissent, eos suos amicos esse, cum quibus Hollandi commercia sua exercere solerent, dolebant admodum ab vtraque parte, quod sibi inuicem tantum damni intulissent, eosq; bona cum pace à se dimittebant, bonis omnibus illis in naui relictis.

Postquam igitur in gratiam iterum rediissent, hominesque illi in pace iter suum ingressi iterum essent, Hollandi quidē, seruato inter multas insulas tramite, ad 16. vsque Decemb. diem nauigarunt, donec portum *Bantami* assequerentur, vbi, proiectis anchoris, ad 27. Ianuarii diem Anni 1604. permanserunt, quo die postmodum inde soluentes Hollandiam versus velificationem instituerunt, portumq; Texeliæ die 30. Augusti An. 1604. cum nauibus suis holoserico, sericoq; & aromatibus preciosissimis oneratis ingressi sunt.

NAVIGATIONIS HVIVS FINIS.

DESCRI-



DESCRIPTIO NAVIGATIONIS, QVAM ADMIRALIS STEPHANVS AB HAGEN CVM XII. NAVIBVS IN INDIAM ORIENTALEM SVSCEPIT,

addita victoriarum, quas Hollandi de nauibus aliquot Lusitanis reportarunt, commemoratione, & Amboinæ Tidorisque castellorum expugnatione.



VAMVIS Hollandi nauigationibus in Orientalem Indiam operam dantes, omnes initio hostiles Lusitanorum conatus aspernari & negligere constituerant, spe bona freti fore, vt patientia & lenitate sua commitigati tandem Lusitani, hostilem nonnihil animum deponerent, præsertim cum non semel occasionem habentes admodum optatam sese defendēdi & de hostibus suis vlciscēndi, ea tamen vti noluerint, quod quidem tam verum & manifestum est, vt etiam Episcopus *Malaccæ* in literis ad Regem Hispaniæ datis testimonium de eo perhibeat: Attamen cum lenitatem hanc suam ita interpretari Lusitanos viderent, quasi timidi essent, & tantum virium non haberent, vt repugnare sibi auderēt, hinc intolerabiliores audacioresq; factos indies magis magisq; sibi insidiari cernerent, necessarium omnino visum est, vt implorato magistratus sui auxilio, permitti sibi peterent, vt vim vi repellerēt, & damnum omne à ceruicibus suis, quoad eius fieri posset, propellerent. Cum igitur nauigationes suas in Orientalem Indiam continuare, Hollandi decreuissent, necesse erat, vt potētiam Lusitanorum infringerent, naues præsidiarias oppugnarent, & media hostilitatis, subuersis & dissipatis, si quas praeparaturi essent, classibus, ipsis eriperent.

Occasio & causa huius nauigationis

Hoc fine, Anno 1603. classem 12. nauium sub gubernatione Admiralis Stephani ab Hagen expediuerunt, quarum decem priores, quæ Amstelrodami partim, partim in *Horen* & *Enchausen* instructæ erant, 18. Decemb. Texelia soluentes progressæ sunt ad 10. Martii sequentis anni diem, quo superatis multis procellis & tempestatibus, ad *Isle de Maio* appulerunt, reliquas duas naues, quæ in Selandia instructæ fuerant, ibi inuenientes, vnde postmodum coniunctæ omnes progressæ sunt, vt cœptum in Orientalem Indiam iter eo melius perficerent.

Nauigationis huius initium quando factum.

Die 15. Mart. ad Insulam *S. Iago* appellentes, literas in terram miserunt, commeatum & fructus recentes ab incolis petentes, qui nihil sese præter globos tormentariumq; puluerem, quibus aduentantes Hollandos exciperent, habere sese responderunt. Progressi igitur die 9. Aprilis æquinoctialem lineam assecuti sunt, peruenientes 30. Maii ad eleuationem *Cabo de buona Esperançe*, quod 1. Iunii die præteruecti, cursum suum in littore continuerunt, & 27. Iunii ad Insulam *Mosambique* peruenerunt, anchoras

ibi extra castellum proiicientes. Habito autem ibi consilio, decreuerunt cum omnibus scaphis ad littus progredi, insulamq; & castellum vndique probe perlustrare. Reuersi autem postero die, qui egressi cum scaphis fuerant, scapham quandam de naui Lusitanica, quæ sub castello multis doliis onerata hærebat, secum adduxerunt. Populus quidem omnis inde in mare se abiecerat, præter quendam ex illis, quos *Mesticos* vocant, qui globo traiectus perierat, & puerum, quem captiuum abduxerunt. Puer hic referebat, nauem istam vltra sex menses ibi hæsisse, & incolas in *Masambiq;* quotidie naues alias ex Lusitania expectare, cum quibus ea *Goam* versus velificationem faceret. His cognitis, Admiralis consilium conuocauit, decreuitq; impetum in nauem istam facere. Sequenti igitur statim die scaphas aliquot tormentis & militibus armatas emisit, qui posthabitis, quæ ex castello fiebant, displosionibus ad nauem aduecti absque magno labore eam expugnarunt, sed præter dentes aliquot Elephantinos parum in ea inuenerunt.

Die 30. Iunii adhuc aliam nauem dentibus Elephanti & oryza oneratam expugnarunt, quam à loco illo *Mosambique* vocarunt, & ad ministerium suum adhibuerunt. Die 5. Augusti expugnarunt quinq; *Pangayen*, in quibus oryzam & *Milie* frumentum inuenerunt, quæ ad naues suas traduxerunt. Sequenti die adhuc vno *Pangaye* potiti sunt. Die 8. Augusti centum & quinquaginta viri cum 9. scaphis ad littus insulæ *Mosambique* aduecti sunt, sed parum ibi profecerunt, excepto quod tugurium aliquod igne deformarunt. Incolę sclopeta & bombardas eorum non parum metuebant, sunt enim natura timidi, videnturque animo ab Hollandis non vsq; adeo alieno esse, instituta collatione eorum cum Lusitanis [illegible] Die 12. nauem illam Lusitanicam expugnatam prope insulam accenderunt. Die autem 25. inde soluentes abierunt, tribus tamen nauibus, *Delffta*, *Enchusia* & *Columbula*, ibi relictis, vt aduentantes Olisipone naues expectarent. Die 21. Septem. appulerunt ad littus *Goæ*, nauemq; ibi quandam ex *Mecca* aduentantem expugnarunt, sed cum viderent, omnes in ea homines Æthiopes esse, qui versus *Corepatan* proficiscerentur, & nulla Lusitanorum bona in naui sua haberent, eam statim iterum dimiserunt.

Perueniunt ad Goam. Die 26. Septembris ad *Goam* aduecti, vnico non amplius miliari à castello sese demiserunt. Poterant ibi triremes Lusitanicas quotidie videre, verum cum nihil proficere sese posse putarent, constituerunt ad leucas quatuor in Septentrionem excurrere, vbi nauigia aliquot viderunt, verum cum remiges haberent admodum celeres, nulla apprehendere poterant.

Die 2. Octobr. ad ingressum siue ostium fluminis *Goæ* iterum applicantes quatuor nauigia in fugam verterunt. Die 13. prouecti sunt ad castellum *Bardes*, vbi præsidiarias aliquot naues inuenerunt, sed impetum tamen in eas facere non audebant, siquidem totum littus armatis oppletum erat, vnde nihil aliud coniicere poterant, quàm se in Lusitania proditos esse, & propterea tantam ibi multitudinem confluxisse. Circa vesperam 23. triremes ibi conuenerunt, in quas Hollandi tormenta quædam emiserunt, in terrorem scil. ne ad se appropinquarent. Die 14. adhuc 11. naues præsidiariæ eo venerunt, quod cum Hollandi vidissent, habito consilio, nauigare versus *Calecutum* decreuerunt.

Die

Die 26. ad vrbem *Cananor* applicarunt, cumque sese sub Castello demisissent, mittebat statim Admiralis scapham quandam cum vexillo pacifico, vt cum incolis eius loci loquerentur. Aduentantem hanc scapham Lusitani post scopulum quendam latentes sclopetis & bombardis suis exceperunt, quibus Hollandi quidem statim responderunt, quiescentib. interim Æthiopibus ciuitatis illius incolis, & Lusitanis etiam ex Castello tormenta in naues displodere non audentibus, siquidem à Rege hoc ipsis interdictum erat. Post meridiem Æthiopes quidam cum vexillo pacifico aduentantes literas Admirali à Rege attulerunt, quibus perscriptũ erat, Regem multa de Hollandis audiuisse, quod nimirum iurati Lusitanorum hostes essent, putare igitur eam ob causam eos aduenisse, vt Castellum eorum oppugnarent. Conabatur igitur ipsis hoc modis omnibus dissuadere, indicando illud rebus omnib. munitũ esse, & Lusitanos quidem vltra centũ annos sub tutela & patrocinio antecessorum suorum vixisse, & propterea sese eos deserere non posse. Suadebat igitur Hollandis, vt, si amicitiam suam expeterent, inde quamprimum discederent, & neque insulis *Maldiuis*, neque nauibus suis damni quid inferrent, idem se quoque facturum promittens. Lectis igitur literis illis, in omnibus sese Regi obtemperaturos responderunt, & statim sublatis anchoris *Calecutum* versus nauigationem direxerunt. *Perueniunt ad ciuitatem Cananor.*

Die 17. Octob. ad littus *Calecuti* venerunt, sequentique die Viceadmiralem cum procuratore Holtzmanno & aliis quibusdam ad littus deposuerunt. Interim præsidiariæ naues nouem ad littus illud applicarunt, itaque Hollandi cum eas vidissent, scaphas statim aliquot tormentis populoque armatas admiserunt, cumq; homines illos repugnare viderent, plures dimiserunt, atque ita vnam tandem ex nauibus illis expugnarunt, populo omni in mare se præcipitante, quorum 80. erant, Æthiopes omnes, præter quindecim Lusitanos, qui in mari suffocati sunt, nouem tantum exceptis, quos Hollandi partim captiuos ad suos naues traduxerunt, partim vero enatantes littus excepit. Reperiebãt autem in naui illa Hollandi 25. Cados pulueris, quos ad Castellum siue propugnaculum *Zeilon* transferre volebant. *Veniunt Calecutum.*

Die 3. Nouemb. quatuor viri Regis Calecutensis nomine ad naues venerunt, dicentes se à Rege missos esse vt locum Hollandis monstrarent, vbi Regem inuenirent, itaque sublatis statim anchoris eos secuti sunt. Postero die viderunt in littore nouem præsidiarias naues, itaque ad eas aducti tormentis quidem multas trucidarunt, sed nullam tamen comprehendere poterant, quod ventus ipsis fauere nollet. Ab incolis equidem cognitum est, multos in nauibus istis finita pugna desideratos fuisse. Paulo post duas *Iunkas* siue naues alias viderunt, cumq; à Calecutensibus illis quatuor cognouissent Lusitanos eos esse, aggressi statim eas expugnarunt. Nihil autem in eis præter *Coquos* siue nuces Indicas inuenerunt; itaque illis omissis, cum tres naues superstites, *Delffta, Enchausen*, & *Columba*, vna cum naui *Mosambique*, 6. Nouemb. die ad classem reuersæ essent, progressi simul omnes ad locum vbi Rex in Castris erat applicarunt.

Die 8. Nouemb. *Samaryn* siue Imperator in *Malabar* & Rex in *Calecut* in persona cũ Admirali loqui voluit, pacem & fœdus perpetuum cũ Hollandis initurus, quod cognouisset eos Lusitanorum iuratos hostes esse: hoc enim *Rex Calecutanus fœdus cum Hollandis facit.*

nim rumore primum, iam vero ipso facto didicerat. Hollandi igitur habito consilio decreuerunt, Admiralem ipsum cum procuratore Holtzmanno & pluribus aliis in terram descendere & Regem accedere debere, quod etiam ordine optimo fecerunt, cumque ad Regem venissent, munera quædam ei obtulerunt, quæ magna cum beneuolentiæ significatione ab eis accepit. Cæterum inito cum Hollandis fœdere iuramentum sibi inuicem præstiterunt, literisque publicis illud confirmarunt, quas Rex quidem fieri, & in Hollandiam abduci postulauit, vt scirent vniuersam suam regionem debere sibi imposterum patere, vt commercia sua in ea vbi & quando vellent exercere possint. Omnes equidem Malabares ex hoc fœdere lætitiam maximam conceperunt; Admiralis vero postmodum ad naues cum suis reuersus est.

Cochinum versus nauigant.

His ita peractis, decretum est vt naues duæ, *Selandia* nimirum & *Enchusia*, nauigationem *Cambaiam* versus instituerent, reliquæ vero *Cochinum* irent, hoc enim Admiralis Regi promiserat, atque ita ab inuicem discesserunt. Circa vesperam diei 14. Classis *Cochinum* adueniens iuxta portum transiit, ita vt naues in portu videre posset. Videbatur ipsis quidem ciuitas satis elegans esse, verum non audebant sine Comite portum ingredi, cum ratio istius loci ipsis ignota esset. Quare conuerso statim itinere *Zeylon* versus nauigarunt, vbi 22. die appellantes iuxta ciuitatem *Columbo* subsederūt, displosionib. aliquot Castellum petētes, cuius præsidiarii tot vicibus, quot naues erant, ipsis responderunt. Hinc progressi 13. Decemb. die ad insulam *Sumatram* applicarunt, vbi *Delffta* quidem nauis, qua vehebantur legati Regis in *Achin*, à Classe discessit, vt legatos illos in *Achin* reduceret. Reliquę naues 31. Decemb. ad ciuitatem *Bantam* applicarunt, vbi cognouerunt, nauem quandam Hollandicam, cui *Sepis Hollandicæ* nomen erat, bona omnia ex naui quadam alia, *Alkmaer dicta*, quam ad insulam *Matagascar*, nempe in sinu *Antogyl*, inuenerant, accepisse, atque Hollandiam repetiisse.

Veniunt ad Ciuitatem Bantam.

Die 2. Ianuarii Anno 1605. appulerunt ad ciuitatem *Bantam* quatuor naues Anglicæ, populo parum instructæ, quorum Admiralis *Middelton* vocabatur. Die 17. Ianuarii Classis ex *Bantam* iterum abiit. Constituerant enim Insulas *Moluccas* petere. Antequam autem velificationē eò dirigerēt, versus fretum *Sunda* excurrentes, de recenti aqua & lignis sibi prospexerunt.

Hinc *Iacatarā* versus cursum direxerunt, vt cibaria & fructus recentes sibi compararent, quorum tum *Bantami* magna inopia & caritas erat. Die 28. discessit à Classe illa *Mosambique* nauis, deducentibus eam Admiralis & Viceadmiralis scaphis aliquot. Sed & dum ad *Bantamum* hærerent, quidam *Grisse* versus excurrerunt, procuratorem Compostellum secum ducentes visum an commodum & lucrum ibi aliquod percipere possint.

Die 21. Februarii Classis circa vesperam ad sinum *Amboinæ* adueniens per noctem illam in parte Septentrionali quieuerunt, sequenti die ad ipsum Lusitanorum Castellum progressuri. Antequam autem eo venirent, mittebat eis in occursum Gubernator Castelli scapham quandam cum literis, quibus Admiralem interrogabat, quid negotii ibi haberet, & cur ad castellum hoc venisset, in quo ipse à Rege Hispaniæ Gubernator

consti-

constitutus esset? Admiralis respondebat, se à Principe Mauritio eo missum esse, vt castellum & Insulam *Amboynam* expugnaret: quo responso, perterrefacti discesserunt, relationem sese sequenti die allaturos promittentes. Interea naues progressæ castello magis magisq; appropinquabant, ita vt horam circiter decimam illud assequerentur, anchorasq; suas sub eo proiicerent. Gubernator igitur robur & audaciam Hollandorum videns, ita perturbatus est, vt oppugnationem expectare non posset, sed statim ad Hollandos mitteret, qui deditionem facerent, & decessum paciscerentur. Conuenit igitur inter eos, vt Lusitanis omnibus libera decedendi facultas daretur, qui vero in matrimonio viuentes ibi manere vellent, iuramentum fidelitatis Mauritio & Ordinibus confœderatis præstarent: Decedentes autem arma sua secum sumerent, tormentis tamen & rebus ad munitionem pertinentibus aliis, quemadmodum etiam insignibus Regiis in castello relictis. *Amboyna ab Hollandis occupata.*

His ita transactis, Viceadmiralis cum quinquaginta personis castellum ascendens, vexillum Mauritii ei imposuit, reliquis in nauibus multa tormentorum displosione triumphantibus. Erat castellum hoc tormentis & munitionibus aliis probe admodum instructum, repertaq; sunt in eo triginta tormenta ænea. Lusitanorum castello decedentium 600. erant, quos Hollandi duobus nauigiis, quæ paulo ante expugnauerant, impositos extra sinum illum dimiserunt. Permanserunt autem in insula in matrimonio viuentes 46. cum familia sua, qui omnes iuramentum fidelitatis & subiectionis Hollandis præstiterũt. Victoria hæc, licet nullo negotio Hollandi ea potiti sint, nõ tamen cõtemnenda, sed grato potius animo agnoscenda & deprædicanda est, cum locus sit multorum prouentuũ & magnæ vtilitatis. Hollandi quidem castellum id commeatu ad annum integrum sufficienti instruxerunt, constitutumque in eo Gubernatorem Fridericum Holtzmannum ibi cum præsidiariis aliquot militibus reliquerunt.

Cæterum decretum paulo post est, vt quinque naues, nempe Viceadmiralis, *Westfrisia*, *Amstelrodamum*, *Geldria* & *Medenblica* cursum suum ad *Tidorem* Insulam dirigerent, Admiralis vero *Bandam* versus progrederetur, *Cornu* vero nauis *Amboynæ* maneret & vecturam suam ibi acciperet. Discedentes igitur ab inuicem, quinque illæ naues progressæ, 1. Maii die ad Insulam *Poulo Cauely* appulerunt, inuenientes ibi Admiralem quendam Anglum, qui Caryophyllorum partem aliquam *Tidori* accepisse se dicebat, constitueratque in *Makian* progredi, vt plenariam ibi vecturam adipisceretur. Quærebant Hollandi, an Lusitani in castello *Tidorensi* satis etiam pulueris tormentarii haberent? qui respondebant, quod vascula sedecim haberent, & occasionem sibi dari desiderarent cum Hollandis pugnandi: sed & Regem Tidorensem auxilium eis pollicitum esse dicebant.

Interceperant autem paulo ante Hollandi non procul à *Byma* nauem aliquam Lusitanicam, in qua Gubernator *Moluccarum* Insularum erat, qui *Malaccæ* puluerem tormentarium emerat. Is affirmabat sibi quidem verisimile non videri, q; Angli de *Tidorensibus* dixissent: parum n. pulueris

ante discessum suum ibi fuisse, seque propterea iter hoc ingressum esse, vt puluerem emeret, & inter castella ea distribueret.

Hollandi Tidorem adueniunt.

Die 2. Maii naues illæ quinque ad *Tidorem* applicarunt, seq; ex opposito aulæ Regiæ demiserunt, videntes duas naues non procul à castello ab anchoris hærentes, inter duo propugnacula, quæ ad nauium istarum defensionem facere haud parum poterant. Die 5. Viceadmiralis deditionem castelli fieri postulauit, Lusitani vero respondebant, se defensioni ad extremum vsque virum constanter incumbere velle, itaque visum Hollandis est, naues illas prius expugnare, moxque Viceadmiralis cum *Geldria* naui, cuius Nauarchus Ioannes Mollius erat, qui ob fortitudinem & rei militaris prudentiam merito laudandus est, ad eas prouecti sunt. Lusitani igitur statim ad tormenta conuersi, tam ex nauibus, quàm ex duobus propugnaculis Hollandos petere cæperunt, qui ipsis nihil concedendum rati tanto impetu & furore naues illas oppugnarunt, vt inter tonitrua quasi & fulmina constituti viderentur, & cœlum quasi globos pilasque pluere putaretur. Inter fulminandum autem Viceadmiralis cum Ioanne Mollio scaphas suas militibus onerarunt, vt ita spretis & neglectis displosionibus omnib. ab omni latere naues oppugnare possent, quas etiam post horam vnam atq; alteram expugnarunt. Populus ex nauibus omnis in aquam se abiecerat, expositis primum ad tormentarii pulueris vascula ignitis funibus, quibus naues à se desertæ, & ab Hollandis occupatæ dissiparentur, quod Hollandi quidem quamprimum animaduerterunt & præcauerunt, qui in pugna hac tres viros amiserant, septendecim vulneratis. Transferebant autem ad naues suas septem tormenta ænea, triaq; ferrea maiora, & duo vulgaria, vnamq; post alteram accensas dimiserunt.

Quamuis autem Lusitani ex castello prospicientes hæc vidissent, in sententia tamen sua perseuerarunt, deditionemq; facere constanter recusarunt: itaq; Hollandi Regem *Ternatensem* adhibendum in consilium arbitrati sunt, qui diem vnum atq; alterum sibi permitti postulauit, vt exercitum cogere, atque auxilium Hollandis præstare posset: non enim ignorare sese dicebat, Lusitanos ab Anglis tormentario puluere, commeatuque & rebus necessariis aliis satis instructos esse. Cum igitur Rex ille exercitum suum collegisset, consultum ipsis visum est, pro cauenda nimia sanguinis profusione, Regem *Tidorensem* monere, vt quietus Hollandos cum Lusitanis solis pugnare permitteret, quod ipsum etiam se facturum *Ternatensis* Rex promisit.

Hollandi Tidorem expugnant.

Postquam igitur hoc apud Tidorensem obtinuissent, 14. Maii die, centum & quinquaginta Hollandi sub imperio Ioannis Mollii in terram castellum id vi summa oppugnaturi descenderunt, cum præsertim ipsis etiam Capitaneus ex Selandia *De la Perre* doctus sese coniunxisset. Quamprimum autem excensionem in terram fecissent, ad pagos duos, alterum in parte meridionali, alterum in septentrionali sitos profecti sunt, eosq; in terrorem Lusitanorum igne deformarunt. Rex autem *Ternatensis*, qui cum 14. *Caracollis* siue nauigiis, quorum singula centum & quadraginta armatos continebant, aduenerat, cum quingentis plus minus militibus in terram progressus est, vt euentum pugnæ videret, & Regem *Tidorensem* simul in metu contineret, ne auxilium Lusitanis afferret. Reliqui Hollandi cum classe ad partem castelli septentrionalem applicarunt, tormentisq; illud petere indesinenti studio cæperunt.

Cæterum

Cæterum Præfectus Mollius cum centum & quinquaginta armatis suis ad castellum progressus, munitiones statim ex doliis vinariis terra oppletis, die noctéque laborando parauit, multaque tormentorum displosione castellum concussit. Cum vero Lusitani præsidiarii non cessarent, sed constanter & audacter Hollandos tormentis suis impeterent, & vero classiarii Hollandorum milites castris assueti non essent, Mollius quidem clam nocturno tempore cum duobus militibus castellum lustrauit, cumque videret, accessum militibus tormentorum displosione iam patefactum esse, constituit sequenti statim die impressionem tentare. Simulatque igitur illuxit, populum suum omnem ad castellum traduxit, idque tam occulte, vt præsidiarii in castello id animaduertere non possent. Qui in nauibus erant, strenue quidem displosionibus tormentorum incumbebant, donec signum erecto vexillo Mollius ipsis dedisset, quo viso, à tormentis tandem cessarunt. Præfectus igitur impressionem summo conatu aggressus, cum vexillo tandem & septem militibus in castellum irrupit.

Verum Lusitani crebra displosione & pilarum ardentium ex turri quadam proiectione, non solum vexillum eorum accendebant, sed & ne plures irrumpere possent, modis omnibus prohibebant, itaque Mollius postquam quadrantem horæ pugnasset, recedere tandem iterum & castellum relinquere coactus est. Inter decedendum autem ex scopulo cadens crus alterum fregit, quo viso, cum quidam accurrentes eum inde auferre vellent, parere ipsis recusans, modis omnibus ne decederent, sed impressionem repeterent, hortatus est, donec tandem aliquis humero suo impositum eum ad castra seu munitionem, de qua dixi, detulit.

In prima hac insultatione ex parte Lusitanorum quidam interfectus est, qui Præfectus fuerat in nauium altera ab Hollandis expugnata, & iam ad castellum transierat. Primus hic fuerat, qui in Præfectum Mollium armatus procedens, eum gladio suo transfigere voluit, verum cum Mollius hasta sua ictum auerteret, adfuit statim, qui glande plumbea per caput eius traiecta eum interfecit. Verum enimuero Hollandi non remittendum rati, secunda statim vice ad insultum reuersi facili labore reiecti, Lusitani vero tam cordati & audaces effecti sunt, vt fere vsque ad munitionem suam Hollandos persequerentur. Hoc viso, qui in nauibus erant, ad tormenta iterum conuersi in castellum fulminare cæperunt. Factum est autem, *vt, cum ex Geldria* naui globus tormentarius in turrim castelli contorqueretur, ignis in puluerem tormentarium delapsus turrim cum 60. vel 70. Lusitanis magno cum intuentium stupore in aures dissipauerit.

Interea qui in terra erant Hollandi tertia vice insultum tentantes magna vi in castellum irruperunt, Lusitanis in stuporem quasi versis, & vitæ saltem suæ parcerent rogantes, quod facile etiam obtinuerunt. Cæterum *Ternatenses*, qui hactenus spectatores huius pugnæ se præbuerant, expugnato iam castello, accurrentes omnia diripere & euertere cæperunt, ita vt turrim etiam saxeam igne delerent, in qua ingens quidem Caryophyllorum copia fuit, Hollandis frustra repugnantibus.

In hac expugnatione ex Hollandis tantum duo interfecti, & septem vulnerati sunt, Lusitanorum autem septuaginti tres occubuerant, trede-

tredecim grauiter vulnerati fuerant. Vxores & liberos ad propugnaculum quoddam in altissimo monte extructum, in quem non nisi angusto tramite ascensus patet, traduxerant. Locus iste natura inexpugnabilis erat, nec nisi cibariorum & aquarum defectu superari poterat. Hollandi autem aliquot nauigia ipsis permiserunt, quibus Lusitani omnes quingenti fere numero ad *Philippinas* insulas delati sunt. Per hanc igitur victoriam Lusitani ex omnibus *Moluccis* insulis eiecti sunt, ita vt præter exiguum aliquod castellum in Insula *Solor*, iuxta *Timor* Insulam sita, nihil ibi amplius habeant. Difficilior autem hæc fuit expugnatio, quàm prior illa, quæ diuinum potius opus fuit, quàm humanum, quamuis hæc etiam inter diuina opera numeranda sit, cum incertum sit, quomodo ignis in puluerem peruenerit, & an puluis tormentarius à globo illo ex naui in castellum disploso, an vero per incuriam & negligentiam Lusitanorum, ignem conceperit. Hoc autem certissimum est, quod absq; hac turris dissipatione si fuisset, expugnatio non tam facile fieri potuisset.

Cæterum Hollandi cum bona fere omnia ex castello hoc abstulissent, illud de consilio Præfectorum totum demoliti sunt & subuerterunt. Vice-admiralis autem aliquos constituit, qui in Insula *Tidore* imposterum subsistentes, negotiationibus cum incolis exercendis operam darent, & arbitri inter vtrumque Regem *Tidorensem* & *Ternatensem* essent. His ita peractis, *Geldria* quidem nauis *Ternatem* petiit, vbi cum satis magnam Caryophyllorum copiam accepisset, 14. Iulii inde iterum soluens, *Bantamum* 21. Augusti die aduecta est, vnde postmodum die 25. Augusti vna cum naui alia *Tergoude* dicta velificationem in patriam instituit, quo tandem sub initium Maii, Anno 1606. multis aromatibus oneratæ, relationem de expugnatis hisce castellis secum afferentes, feliciter aduenerunt.

FINIS.

ICONES

Seu

GENVINÆ ET EX-PRESSÆ DELINEA-TIONES OMNIVM MEMORABILIVM,

QVÆ IN HAC OCTAVA INDIÆ ORIENTALIS PARTE annotata sunt, varias simul populorum in Ternate, Patane, Cande & aliis locis habitantium ceremonias, mores, habitusque ob oculos ponentes,

ACCVRATO STVDIO ET OPERA IN æs incisæ, & studioso nouarum rerum Lectori communicatæ exhibitæque,

A

IOANNE THEODORICO ET IOANNE ISRAELE DE BRY, FRATRIBVS GERMANIS.



FRANCOFORTI,
In Officina Typographica WOLFGANGI RICHTERI.
M. DC. VII.

I.
DELINEATIO CONVIVII A TERNATENSIVM REGE Generali Neccio exhibiti.





Vm Hollandi ad Ternatem Insulam, quæ ad Molucas pertinet, duabus nauibus appulissent, à Rege eius splendido admodum conuiuio sunt excepti, qui superiori tabulæ loco in lectulo regium in morem gemmis & auro nitente holosericoq; constrato considens, ad vtrumq; mensæ latus assidentes sibi Generalem Neccium & Consiliarios Subpræfectosq; eius habuit, & hucusq; quidem mensa illa eleganti mappa & rotundis orbiculis instrata fuit, post illos autem sedentes reliqui nauium ministri partem mensæ folijs & herbis virentibus constratam occuparunt. Mensa autem ipsa vna cum lectulo in theatro quodam nonnihil à terra eleuato constituta fuit. Astabant ei Regis filij cum Nobilibus alijs mensæ ministrantes. Durante autem prandio, Molucenses incolæ palæstram exercere & omnis generis ludos conuiuis exhibere cogebantur.

II.

DELINEATIO PISCATVRÆ TERNATENSIS.





INcolæ Ternatenſes duos habent capiendi piſces modos, quos tanquam inſolitos annotare libuit. Primus modus eſt huiuſmodi: Bini piſcatores cum ſcapha in mare nocturno tempore prouecti operas ita inter ſe partiuntur, vt alter ſedens ſcapham dirigat & impellat, alter vero præacutum manibus lignum vel arundinem tenens, natantes in aqua piſces obſeruat, magnaq; celeritate traiectos in ſcapham colligit. Alter vero modus ita habet: Ad ripam fluminis conſtituti herbarum vel muſci manipulum funiculo colligatum in flumen quàm poſſunt longiſſime, extremitate funiculi in manibus retenta, abijciunt, cumque piſces eſcam ſubeſſe rati muſco huic adhærere ex commotione funiculi deprehendunt, extemplo funiculum attrahunt, piſcibuſque muſco implicatis ita potiuntur.

DELINEATIO PVNIENTIVM ADVLTERIA IN INSVLA PATANE.





Os est apud Patanios coniugium venerari & illibatum matrimonii honorem tam sanctè conseruare, vt si qua in adulterio deprehendatur, mortem euitare non possit, supplicium vel ipsis parentibus vel cognatis proximis de ea sumentibus. Cuius quidem rei exemplum Hollandis exhibitum est: cum enim illi inter eos versarentur, accidit vt iuuencula quædam in adulterio deprehensa ad primarium quendam virum parentem suum deferretur. Is igitur conuocatis statim consanguineis & amicis omnibus, delictum filiæ aperuit, qui cum mortem consanguineæ suæ deplorassent, & iuuencula amicis omnibus valedixisset, à parente suo, eo quidem mortis genere, quod ipsa sibi elegerat, laqueo nempe interfecta est. Sed & Nobilis ille, qui cum ea rem habuerat, licet factum primò constanter negaret, postea tamen certis rationibus conuictus, cum amicis & consanguineis valedixisset, pugione à parente suo confossus pœnas commissi adulterii satis graues dedit.

IV. DELI-

IV.

DELINEATIO PROCESSIONIS REGINÆ PATANIENSIS.



CIuitas Patane à Regina quadam defuncti Regis vxore, cum Hollandi ibi eſſent, gubernabatur. Hæc ſi quando animi oblectandi gratia prodire in publicum conſtituit, Elephanti regium in morem ſplendide exornato inſidet, habetq; ſecum gynæceum ſiue virgines ſuas pulcherrimè exornatas, Elephantib. ſimiliter inſidentes, nobilibus vero & ſatellitibus ſtipata, Elephantes aliquot ſecum duçit, arma defuncti ſui Regis geſtantes.

DELINEATIO VENATIONIS, QVA ELEPHANTES in PATANE capiuntur.



ELephantes apud Patanios alia quam apud Peguanos ratione capiuntur. Peguani enim Elephantes fœmellas iam cicuratas emittunt, quæ Elephantes ſylueſtres maſculos ad ſe inuitatos ſecum intra caſtra & cancellos traducunt. Hi autem populi Elephantes aliquot validos habent ad hunc vſum peculiariter adſuefactos, quibus venationi operam daturi inſident, atque ita in conſpectum ſylueſtrium feruntur, qui viſo cicurato, eum ſtatim aggrediuntur, & vires ſuas pugnando experiuntur. Interea vero dum ita luctantur, adſunt ſtatim, qui comprehenſos funiculo poſteriores eorum pedes tam vehementer conſtringant, vt in terram tandem procidant, vbi ita vincti & conſtricti detinentur, donec cicures facti cibum tandem aſſumant & ductorem ſuum ſequantur.

VI.

DELINEATIO ANNABONÆ AB HOLLANDIS expugnatæ.



POstquam Hollandi menses ferè quatuor in mari oberrantes ad hanc tandem Insulã appulissent, Scaphis suis aliquos in terrã ablegarunt, qui pro malis aliquot aureis & aqua potabili obtinendis tractationem cum incolis susciperent. Antequam autem ad littus pertingerent, crebra tormentorum displosione se inde ab incolis, qui munimentum aliquod raptim mari obiecerant, prohiberi viderunt, itaque ad naues statim, plures allatum socios, reuersi sunt. Interea incolæ in montana confugientes ædificia omnia vacua & desolata reliquerunt, quibus postmodum igne vastatis, Hollandi quicquid inuenire fructuum poterant secum abduxerunt.

VII. QVO-

QVORVNDAM OB DELICTA SVA MISERE mutilatorum effigies.



SVpplicium à facinorosis apud Achienses sumpturi, variè eos mutilare dicuntur, itaq; hic senem primo aliquem repræsentare voluimus, Regis Achiensis affinem, quem Rex ob delictum aliquod enorme, naribus auribusque & superiori labio mutilatum, in aula sua ad dies vitæ sustentat. Affirmabant aliqui Hollandis præsentibus, eum adhuc in viuis esse, sed ob ætatem prodire rarius solere. Apposuimus deinde aliquem manibus pedibusque truncatum, quo quidem supplicij genere facinorosi plerunque afficiuntur, qui si peracta mutilatione non statim moriantur, sed in viuis adhuc remaneant, ligatis ad brachia scipionibus, cruribus vero in arundines insertis, vt alijs exemplo sint, dimittuntur. Adiecimus hic etiam Achiensis ciuitatis delineationem & situm.

VIII.

DELINEATIO REGIS IN MATECALO HOLlandos in littore excipientis.



Exhibuimus tibi hac imagine delineationem regii ad portum maris aduentus, vbi Rex in Matecalo Hollandos honorificè excepit, & varia cum eis locutus est. Erat ille indutus indusio gossypino tenerrimo, tunica sericea ad vmbilicum vsq; superiniecta (caput pileolo seu vitta sericea tectus erat, pannoq; gossypino circum femora inuolutus. Aures habebat vsq; adeo diductas, vt ad humeros vsq; pertingerent. Venerat autem cum eo nigromanticus siue præstigiator quidam, qui à collo tabulam quandam quadratam æneam suspensam gerebat, circum corpus autem catenam ferream conuolutam habebat. Hic ad portum veniens, præstigiis Hollandos variis oblectaturus, hincinde primum discurrebat, mox vocem terribilem edebat, exhibebatq; Hollandis tabulam suam æneã videndam, quæ varias Cacodæmonis repræsentabat effigies, tandem v. transacto qui ad catenam alligatus erat per partem femoris superiorem cultello, catenam per foramen illud fere mediam traduxit, & ad suos iterum reuersus est.

C IX. DELI-

DELINEATIO TRAGOEDIÆ ILLIVS, QVA VICEADmiralis Sebaldus de Weert cum multis aliis trucidati occubuerunt.



POstquam Viceadmiralis Sebaldus de VVeert cum ducentis sociis, Regi de Cande ad littus maris proficiscenti, in occursum tendens, eum honorifice excepisset, Rex sese benignum admodum & liberalem ei exhibuit. Cum vero varia inuicem locuti essent, & Viceadmiralis Regem, vti nauem suam secum ascendere dignaretur rogasset, ipse quidem id in aliud tempus reiecit, expetens à Viceadmirali, vt remisso ad naues populo, ipse cum paucis ministris secum per noctem istam remaneret. Cæterum vix dimisso populo, Viceadmiralis, iubente ita & volente Rege, cum illis, quos assequi adhuc Regii satellites poterant, trucidati misere & interfecti occubuerunt.



CVm Hollandi Achiensem aliquando Regem salutatum aduenissent, muneris loco tormentum aliquod æneum ei obtulerunt, qui in circuitu domus suæ consistens desuper cum Hollandis locutus est. Hollandi autem, vt in conspectum Regis ventum est, complicatas manus fronti admouerunt, honorem more in istis regionibus vsitato ei exhibentes. Inde ad Regis filium pergentes, eum in loco quodam patentis admodum aulæ sedentem, multisq; mulierculis stipatum deprehenderunt: Satellites enim præter mulieres nullos habebat, quæ etiam ministeria ei varia præstabant gladiis, iaculis, arcubusq; & sclopis armatæ. Cum ergo Hollandi eum more ibi vsitato etiam salutassent, humi eos sedere & apposito statim cibo lassa sua corpora reficere iussit.

XI. DELI-

XI.

DELINEATIO ADVENTVS HOLLANDORVM in terram PATANE.



CVm non procul à portu Patanio Hollandi abeſſent, Regem quidem eius loci de ſuo aduentu certiorem faciendum omnino ſtatuerunt, addita admonitione, parant piper & aromata alia, vt quod ad mercaturam faceret, aduenientes ſtatim inuenirent. Rex igitur, his auditis, præcipuum ex proceribus ſuis cum duobus Elephantibus & ſubditis non paucis ad portum miſit, qui exceptos amice Hollandos ad vrbem porro perducerent atque comitarentur.

XII. DELI-

XII.

DELINEATIO CIVITATIS AMACAO.



Xhibuimus tibi hac figura delineationem Chinensium ciuitatis Amacao, ad quam vela facere Hollandi decreuerant. Cum autem ex viginti vel circiter personis quas exploratum ciuitatem miserant, neminem ad se redire viderent, ex quo conditionem & statum vrbis perdiscere potuissent, sententiam suam mutare & nauigationem alio dirigere coacti sunt.





AMACAO.

XIII.
DELINEATIO PVGNÆ NAVALIS HOLLANDOrum cum Lusitanis in fluuio Batusabar.



Xhibemus tibi hac figura delineationem pugnæ naualis inter Hollandos & Lusitanos in fluuio Batusabar habitæ, cuius explicationem sic accipe. A. *litera Viceadmiralem Hollandorum nomine Ziricze denotat.* B. *est sepes Hollandica ab Enchhausen.* C. *Celocem ab Amstelrodamo notat.* D. *Nauis est Lusitanorum maior.* E. *Lusitanorũ nauis minor est.* F. *Triremes sunt Lusitanicæ.* G. *sunt nauigia Ioracensia, quæ spectatum illam pugnam aduenerant.* H. *iterum Viceadmiralem Ziricze notat, pugnam extra fluuium Batusabar secundo instituentem.* I. *Sepes Hollandica.* K. *vero Celox est ab Amstelrodamo.* L. *similiter Lusitanorum nauem maiorem.* M. *vero nauem minorem denotat.* N. *Triremes sunt, cum quibus potentissimus Ioracensium Rex aduenerat.* O. *vero Triremes sunt & nauigia alia Lusitanica in fugam versa.*


Oudt Ior
Pedro Blanco
Bintam
Rio Batasubar
CONTRAFACTVR DES SCHARMVTZ
els der Hollender wider die Portigesen in dem flus Batusabar
A. ist der Hollendische Vice Admirael Zirixcze genandt B. ist
der Hollendische Zaun von Encheusen C. das Iagschiff von
Amsderdam D. ist das grose Schiff der Portugesen E. ist
das kleinere F. sind ihre Gallehen G. seint fusten von Ior
welche dem Scharmntzels Zu sagen H. ist wider der
vice Admiraell Zirixze als sy Zum andern mael
ausserhalb des fluses mit ein ander kempften I. ist der
Hollendische Zaun und K. das Iagschiff L. ist wider


Von Ior inen gewesen O. Seindt die Gallehen Und
fusten der Portugeser welche sich in die flucht begaben
Trombotaeon.
Sinca Pora
Best bekent
Weisse Fels
Valsch Sinca Pora
Cust onbekent
Tansse Pora
Carimon
Straet van Sinca Pora

DELINEATIO NAVIS LVSITANICÆ AB Hollandis expugnatæ.



EXhibet hæc figura particulam Insulæ Mosambique cum Castello in ea sito. Denotat autem victoriam Hollandorum ingentem Lusitanicam nauem expugnantium, cuius historiam ex postrema huius octaui tomi nauigatione lector cognoscet. Hic autem literis quibusdam explicata est, quarum A. Insulam Mosambique, B. Castellum Lusitanorum nauis suæ defensionem suscipientium. C. Nauem ipsam Lusitanicam ab Hollandis oppugnatam. D. Hollandos nauem Lusitanicam aliquot Scaphis oppugnantes. E. vero Hollandorum naues denotant.

DELINEATIO FOEDERIS HOLLANDORVM cum Rege Calecutanorum pacti.



POstquam Hollandorum præfectus Stephanus ab Hagen ad oram Calecutensium appulisset, & insignem Regis Calecutani humanitatem cognouisset, visum est ei omnino petitioni Regis satisfacere & ad Colloquium eius venire. Excensione igitur cum suis facta, à Rege amice admodum exceptus est, qui acceptis ab Hollandis muneribus, perpetuum cum eis fœdus constituit, literisq́ ne quid de eo imposterum Hollandi dubitarent vtrinq́ confirmatum voluit.

XVI.

DELINEATIO CIVITATIS ET CASTELLI AMBOINAE.



CVm Hollandi ad ciuitatem Amboinam appulissent, missis ad eos Gubernator duobus ministris percunctatus est, quam ob causam eo venissent, & quid ex Castello, cui ab Hispaniæ Rege præfectus datus esset, desiderarent: Qui missos sese à principe Mauritio Castellum illud expugnatum, professi sunt. Responso igitur hoc stupefactus Gubernator, Castelli ipsis statim deditionem fecit, hac tamen lege & conditione, vt omnibus, qui manere eo loco nollent, cum armis suis decedere permitteretur. Quam cum ratam haberent conditionem Hollandi, Castello hoc absq; vllo labore & pugna potiti sunt.

XVII. DELI-

XVII.

DELINEATIO ADVENTVS HOLLANDORVM & Regis Ternatenſis ad Caſtellum Tidore.



VT ſucceßit Hollandis ad Amboinam conatus, fortunam ſuam vlterius experiri ſtatuerunt. Secundo igitur Maij Anno 1605. nauibus ſuis ad Tidorem appulerunt, quod Caſtellum etiam tandem expugnarunt, vt ex ſequenti quidem figura apparebit. Hic exhiqere tantum lectori voluimus delineationem aduentus Hollando*rum, quomodo nimirum excenſione in terram facta, centum & quinquaginta numero, ad Caſtellum profecti ſint. Itaque litera* L. *Scaphas, quibus ad littus* Hollandi *aduecti ſunt denotat.* M. *nauigia ſunt, Regis Ternatenſis, qui cum quingentis fere auxilio* Hollandis *venerat, vt neceſſitate forſitan ita poſtulante eos iuuaret.* N. *Vicus eſt in parte ciuitatis ſeptentrionali, quem Hollandi iniecto igne deuaſtarunt.* O. *Rex Ternatenſis eſt, eiuſque in aciem diſpoſitus populus.* P. & Q. *Proceſſum Hollandorum Tidorem verſus notant.* R. *Locus eſt, vbi Ternatenſis Rex cum ſuis conſederat, oppugnationis exitum ſpectaturus.* S. *tandem litera munitionem denotat ex congeſtis terraque impletis doliis aduerſus Caſtellum raptim excitatam.*

XVIII.DELI-

XVIII.


DELINEATIO EXPVGNATIONIS CASTELLI Tidorensis & duarum nauium Lusitanicarum.



Xhibet hæc figura ciuitatem Tidorensem cum Castello & expugnatione eius ab Hollandis nuper facta. Literas adiectas sic intellige. A. *Denotat aduentum Hollandorum, quomodo nimirum in parte ciuitatis meridionali ad templum quoddam Indianorum peruenerint.* B. *Vicus est ab Hollandis igne accensus.* C. C. *Sunt castra Lusitanorum siue Loricæ, ex quibus Lusitani multa tormentorum displosione aduersus Hollandos sese tuebantur.* D. *Naues sunt ab Hollandis expugnatæ.* E. E. *Oppidum est ab Æthiopibus indigenis habitatum.* F. *Templum est Indianorum siue Æthiopum incolarum.* G. *Regis Tidorensis palatium est.* H. H. *Ciuitas est siue locus Lusitanis habitatus.* I. *Templum est Lusitanorum.* K. *Castellum est Tidorense.* S. *Munitionem ex vasis & doliis Castello obiectam denotat.* T. *Pugnam Hollandorum cum Lusitanis.* V. *Oppugnationem Castelli.* W. *Turrim lapideam, quæ cum 60. vel 70. Lusitanis ab accenso tormentario puluere in aerem dißipata est, ostendit.* X. *Munimentum in altißimo monte excitatum, quo vxores & liberos suos Lusitani traduxerant.* Y. *Montes sunt altißimi, in quibus aromata varia variæq; arbores crescunt.* Z. *Nauis est Anglica ad Henricum Middelthonium pertinens.* A A. *vero duas naues Lusitanicas, quas Hollandi expugnatas accenderunt, denotant.*



A
B
C
Medemblick
Dordrecht
Amsterdam
West Frislant


TIDORE
X
G
H
I
K
W
S
AA
Gelderlant
Medemblick
West Frislant
Dordrecht
Amsterdam

